DE PLUTARCHI CHAERONENSIS

ΟΜΗΡΙΚΑΙΣ ΜΕΛΕΤΑΙΣ

ET

DE EIUSDEM QUAE FERTUR

VITA HOMERI

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHRADER

PHILOLOGIS PRAECEPTORIBUSQUE GERMANIAE

QUI

MENSE SEPTEMBRI ANNI CIƆIƆCCCIC

AD

COETUM SOLLEMNEM CELEBRANDUM

BREMAM

CONVENERUNT

HUNC LIBELLUM

VETUSTAE URBIUM CONIUNCTIONIS

MEMOR

DEDICAVIT

SOCIETAS PHILOLOGA HAMBURGENSIS

DE PLUTARCHI CHAERONENSIS

ΟΜΗΡΙΚΑΙΣ ΜΕΛΕΤΑΙΣ

ET

DE EIUSDEM QUAE FERTUR

VITA HOMERI

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHRADER

GOTHAE
FRIEDERICUS ANDREAS PERTHES.

In iudiciis de Plutarchi Vita Homeri ferendis non neglectum est illud, quod nihil eorum, quae e libris Plutarchi Chaeronensis, qui *Ὁμηρικαὶ Μελέται* vel, A. Gellium si sequimur (cf. p. 7), *περὶ Ὁμήρου* inscripti erant, a posterae aetatis scriptoribus afferuntur, in altero illo libro recurrere videtur. Inde cum olim Jonsius, de script. hist. phil. III, 6, *Vitam* non posse eiusdem esse auctoris atque *Μελέτας* conclusisset, diversam viam ingressus Bernhardus Baedorf, de Plutarchi quae fertur Vita Homeri, Diss. Monast. Guestf. 1891, p. 43, cum *Μελέται Ὁμηρικαὶ* complures fuissent de Homero „*declamationes*“, Vitam unam ex iis fuisse, verba autem nominatim ex illis allata aut aliis earum libris deberi aut ludi magistri cuiusdam, cuius manum Vita quam nunc habemus experta esset (p. 42), opera excidisse statuit.

Neque tamen *Ὁμηρικῶν Μελετῶν* reliquiae, quarum hac in re praeter ceteros Plutarchi libros, e quibus multa ad *Vitam* recte aestimandam haudquaquam contemnenda et Baedorf et Bernardakis (Plut. Chaer. Moral. VII, p. IX sqq.) attulerunt, ratio habenda erat, adhuc ea, qua par fuit, diligentia tractata sunt; alterum autem librum mireris sane editores quique aliis locis de eo egerunt omnes spreta codicum manu scriptorum auctoritate in duos disiunxisse libros ambitu sane quam maxime inter se differentes, et cum *περὶ Ὁμήρου* inscribendus esset, *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* agere maluisse, neque eosdem vestigia quaedam, quibus eo ducamur,

1

ut de libri qui ad nos pervenit partibus inter se compositis certius iudicare possimus, secutos esse.

Utraque via progressi si quaestioni post tot doctissimorum hominum curas nondum solutae aliquid lucis attulerimus futuraeque libri περὶ Ὁμήρου editionis fundamenta iecerimus, operae pretium nobis fecisse videbimur.

I.

Ordiri par est disputationem ab eo loco, quo cuinam rei demonstrandae, etsi neque uni neque fortasse praeter ceteras, in *Μελέταις* operam Plutarchus impenderit generatim exponitur, non singulae tantum res ab eo prolatae afferuntur, Galeni dico (de Placit. Hipp. et Plat. III, p. 265, 16 sqq. M., s. vol. V, p. 300 sqq. K.) verba, quae quo modo constituenda et intellegenda sint nemo adhuc satis dilucide explicavit.

Galenus igitur, cum (inde a p. 258, 8 M.; p. 293 K.) Chrysippum Stoicum vituperat, quod, ut demonstraret animae partem rationalem (*τὸ λογιστικόν*) in corde sedem habere, poetarum ac maxime quidem Homeri versibus perperam, quippe qui haudquaquam ita accipi possint, usus sit, loco quem supra indicavimus, ut codicem Hamiltonianum, nunc Berolinensem 270 (fol. 31), omnium libri de quo hic agitur longe optimum [1]), sequamur, ita pergit: *ἐν οἷς ἐγὼ μὲν ἐκπλήττομαι τῆς μεγαλοψυχίας τὸν Χρύσιππον· δέον γὰρ ὡς ἄνθρωπον ἀνεγνωκότα τοσούτους ποιητὰς καὶ γιγνώσκοντα σαφῶς ἅπασι τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ μαρτυροῦντας ἄλλοτε κατ᾽ ἄλλα τῶν ἐπῶν, ὥσπερ καὶ Πλούταρχος ἐπέδειξεν ἐν τοῖς τῶν Ὁμηρικῶν μελετῶν, ἐκλέγει μὲν ἐξ αὐτῶν ὅσα μαρτυρεῖ τῷ σπουδαζομένῳ πρὸς αὐτοῦ δόγματι, παραλείπει δὲ τὰ μαχόμενα καὶ πᾶν ἐνίοτε κατασκευάζοντα τοὐναντιόν* ⟨sic⟩, *ὅδ᾽ ὁμοίως ἑξῆς ἁπάντων μέμνηται.* Sed non verborum tantum structura, verum etiam res postulat, ut e coniectura (cf. Petersen l. c., p. 8 sqq.) librarii, qui schedas Laurentianas exaravit, *ἐκλέγειν μὲν ἐξ αὐτῶν κτλ.* et *παραλείπειν δὲ τὰ μαχόμενα* scribatur, ita ut hic quoque ut tot aliis huius ipsius libri locis Chrysippo Galenus

1) Cf. Joann. Petersen, in Galeni de Placitis Hipp. et Plat. libros quaestiones criticae (Diss.), Gotting. 1888.

vitio verterit, quod, cum discernere deberet, quinam poetarum loci placitis suis suffragarentur, quinam adversarentur, in afferendis testimoniis parum circumspecte vel adeo temere egisset; cf. Placit. III, p. 287, 2 M.: *ἡ δὲ Χρυσίππου σοφία καὶ τῆς τῶν ἰδιωτῶν ἀμαθίας ἐπέκεινα προελήλυθεν· ἐπικαλεῖται γοῦν μάρτυρας, ὑφ' ὧν κατακρίνεται*, paulloque infra (l. 11): *πρόδηλος δὲ καὶ νῦν ἐστιν ἡ ἀναισθησία τοῦ ἀνδρός, ἃ χρῆν ἀποκρύπτειν καταβάλλοντα τὸν λόγον αὐτοῦ, ταῦτα οὐ μόνον οὐκ ἀποκρύπτοντος ἀλλὰ καὶ μαρτυρεῖν ὑπολαμβάνοντος* [1]).

Sic igitur cum locus in editionibus et Kuehnii et Muelleri constitutus sit, in hac quidem non *γινώσκοντα σαφῶς ἅπασι τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ*, sed *αὐτοὺς μαρτυροῦντας* e coniectura editoris scriptum videmus, ita ut et Chrysippum probe scivisse non sua tantum sed omnium sectarum placita poetarum locis fulciri et Plutarchum in *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* huic rei demonstrandae operam navasse Galenus dicat.

Et recte quidem Mueller in eo sine dubio offendit, quod, *αὐτοῦ* illud si amplectimur, Plutarchus in libro illo id proposuisse sibi videtur, ut omnia Chrysippi placita cum aliorum poetarum tum Homeri auctoritate niti doceret. Quod ferri nequit; quis enim sibi persuaserit eum ita egisse, qui complures libros cum adversus Stoicos tum contra Chrysippum scripserit, atque in iis qui nobis servati sunt huius decreta acerrime, ne dicam paullo iniquius (vid. Carol. Giesen, de Plut. contra Stoicos disputationibus, Diss. Monast. Guestf. 1889) reprehenderit! Quid, in libello de audiendis poetis (c. 11, p. 31 E) nonne ipsum Chrysippum in verbis Homeri *εὑρησιλογεῖν ἀπιθάνως* sensumque eorum *παραβιάζεσθαι* queritur? Non cap. 7, p. 25 C, Homeri de vitiis et virtutibus iudicium *πολλὰ πάνυ τοῖς Στωικοῖς χαίρειν φράζειν* dicit, neque minus Euripidis?

Adde quod de comm. notit. c. 31 (p. 1074 F) simillimum in modum Stoicos vituperat, quod contra poetarum, Homeri

1) Cf. praeterea (edit. Muell.) p. 328, 3; 274, 7 sqq.; 276, 10; 311, 3 sqq.; 315, 1.

Pindari Sophoclis, auctoritatem cum communi omnium opinione congruentem diis immortalitatem abrogent. Quod enim Elter, de gnomolog. Gr. histor. atque origine I (Progr. Bonn. 1893), p. 61 sqq., ipsius Chrysippi libris Plutarchum usum esse demonstravit, eo haudquaquam efficitur eum placitis illius omnibus, ita ut poetarum locos cum iis congruentes afferret, opitulari voluisse.

Itaque, nisi quis verbis Galeni vim afferre volet — ut Baedorf, l. c. p. 43, inde conclusit, Plutarchum ostendisse, placitis Chrysippi vel Stoicorum Homeri auctoritatem *nonnumquam* posse testimonio esse — probandum sane videtur esse *αὐτοὺς* illud Muelleri, ita ut Plutarchus omnium sectarum decreta testimoniis poetarum fulciri docuerit; atque nescio an illud, quod malae fidei crimen Galenus in Chrysippum contorsisset, si dixisset, non ignoravisse illum omnium philosophorum placita poetarum auctoritate posse defendi, prae altera illa difficultate pro nihilo esset habendum, nisi altera quaedam via verborum constituendorum pateret.

Etenim si Galeni locum ita constitueris: *δέον γὰρ (ὡς ἄνθρωπον ἀνεγνωκότα τοσούτους ποιητὰς καὶ γιγνώσκοντα σαφῶς ἅπασι τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ μαρτυροῦντας ἄλλοτε κατ' ἄλλα τῶν ἐπῶν), ὥσπερ καὶ Πλούταρχος ἐπέδειξεν ἐν τοῖς τῶν Ὁμηρικῶν Μελετῶν, ἐκλέγειν μὲν ἐξ αὐτῶν ὅσα μαρτυρεῖ τῷ σπουδαζομένῳ πρὸς αὐτοῦ δόγματι, παραλείπειν δὲ τὰ μαχόμενα καὶ πᾶν ἐνίοτε κατασκευάζοντα τοὐναντίον, ὁ δ' ὁμοίως ἑξῆς ἁπάντων μέμνηται*, ita ut, cum verba *ὥσπερ . . . Μελετῶν* ad sequentia pertineant, Plutarchi partes in verbis *δέον τὰ μὲν ἐκλέγειν τὰ δὲ παραλείπειν* tantum versentur, locus omni caret difficultate; nam id unum dicit Galenus, Plutarchum in libris illis Chrysippo vitio vertisse, quod ad dogmata sua stabilienda poetarum testimoniis parum saepe idoneis, cum meliora afferre posset, temere usus esset.

Ergo — ut quidnam praeterea e verbis Galeni efficiatur (cf. p. 10) nunc quidem omittamus — in commentationibus illis Chrysippi aliorumque sine dubio praeter hunc Stoicorum decreta cum versibus quibusdam Homericis, qui fulciendorum eorum causa afferri solebant, compara-

verat suumque de eo instituto iudicium non dissimulaverat Plutarchus.

Unius autem Stoicorum doctrinae ad Homeri auctoritatem exigendae finibus eum non se continuisse, sed alias etiam sectas in censum vocavisse, e duobus A. Gellii locis (II, 8. 9) sequitur. Verum illud quidem est, hic ut apud eundem IV, 11 (cf. infr. p. 8) verba Plutarchi ut e libris quos *de Homero* composuerit afferri, neque tamen praeter Mart. Hertzium (ad Gell. II, 8 init.) scrupulum quendam inicientem quisquam, quin pro iisdem illi atque *Μελετῶν* libri habendi sint dubitavit, atque recte quidem, ut statim apparebit.

Vituperaverat igitur, ut Gellii verbis utar, Epicurum Plutarchus in libro secundo, quod imperfecte atque praepostere atque inscite hoc syllogismo usus esset: *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.* Nam praetermisisse eum, quod in prima parte sumere deberet, *τὸν θάνατον εἶναι ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσιν,* deinde autem eodem ipso, quod omisisset, quasi posito concessoque ad confirmandum aliud uti; progredi autem eum syllogismum, nisi illo prius posito, non posse. Neque minus philosophum Plutarchus reprehenderat, quod cum doceret, *ὅρον τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν τὴν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν* [1]) *εἶναι,* verbo usus esset parum proprio et alienae significationis; neque enim *παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος,* sed *παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ* dicere oportuisse; detractionem enim significandam esse doloris, non dolentis.

Atque de syllogismo illo imperfecto Plutarchus neque solus egit (vid. Alex. Aphr. ad Arist. Top. p. 14, 7 W.) neque primus, si quidem iam apud Ciceronem, Fin. II, 31, 100 (ubi conferendus Madvigius): *„Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit; nam quod ita positum est: quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum"* scriptum videmus; in altera autem Epicuri sententia nemo praeter Plutarchum offendit, atque is ipse in Quaestionibus Conv. II, 2, 2 ea quamvis obiter usus est ita, ut nihil in illa

1) Cf. de hoc verbo Diels, Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1897, p. 1065.

reprehenderet. Qua quidem cum re comparandum est illud, quod in libello de Vita Epicurea (c. 27, p. 1105 A) cum Theonem in illud de ἀναισθησίᾳ τοῦ διαλυθέντος placitum invehentem inducat, ratiocinandi formam non vituperat.

Qui autem factum sit ut Plutarchus, cum de Homero ageret in Epicuri κυρίας δόξας — sunt autem secunda et tertia — incideret, quibus nihil cum illo commune videtur esse, adhibito Sexti Empirici de iisdem placitis loco (adv. math. I, cap. 13) facile perspicitur. Eo enim capite cum id agat Sextus, ut grammaticos (cf. Elter l. c., p. 11) artem suam, quod ea demum adiutrice poetae recte intellegantur, horum autem dictis philosophorum placita quasi ἐπισφραγίζεσθαι soleant, magni clamantes esse pretii refellat, concedere videtur, ipsos Pyrrhonem et Epicurum, quamvis parvi grammaticam faciant, vel invitos vel tacitos quam propter eam causam sit utilis confiteri: *ὁ δὲ Ἐπίκουρος*, inquit (§ 273 sqq.), *φωρᾶται τὰ κράτιστα τῶν δογμάτων παρὰ ποιητῶν ἀνηρπακώς· τόν τε γὰρ ὅρον τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ὅτι ἡ παντός ἐστι τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις, ἐξ ἑνὸς στίχου δέδεικται λαβών· αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο· τὸν δὲ θάνατον, ὅτι οὐδέν ἐστι πρὸς ἡμᾶς, Ἐπίχαρμος αὐτῷ προμεμήνυκεν εἰπών· ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει· ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ νεκρὰ τῶν σωμάτων ἀναισθητεῖν παρ' Ὁμήρου κέκλοφε γράφοντος* (Ω 54)· *κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων.*

Habes easdem quas apud Gellium δόξας alteram — id quod casu factum esse nequit — alteri sine ullo intervallo additam, ita ut quin utriusque loci fons sit communis vel admodum vicinus dubitari non possit.

Jam cum a Stoicorum aliquo Epicurum irrideri quod ab Homero pendeat, et ex eiusdem sectae vel adeo ipsius Chrysippi gnomologio ad Sextum haec pervenisse per Elterum constet (vid. praeter loc. cit. etiam II, p. 75), Plutarchus utrum eodem gnomologio hoc loco usus sit necne, non diiudicaverim; neque magis hoc certe loco quaerendum mihi videtur esse, accesseritne ipse furti crimini in philosophum coniecto an oblocutus sit: pro huius dissertationis consilio satis est, quod

eum in libro illo Homerico duo Epicuri decreta ad Homeri quosdam versus (κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων et αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο) exegisse neque — id quod e Gellii verbis solis spectatis quis effecerit — in externa verborum condicione casu aliquo haesisse nunc quidem constat.

Num opus est pluribus demonstrare et Galeni de libro illo Plutarchi iudicium et Gellii locos recte intellectos quam maxime inter se fulciri?

Adde quod ea quoque, quae idem Gellius (IV, 11, 11. 12) e Plutarchi librorum Homericorum primo affert, secundum Aristotelem (vid. fragm. 189 ed. Acad. Berol.) Pythagoreos non abstinuisse edundis animalibus, nisi pauca carne quadam (μήτρας καὶ καρδίας καὶ ἀκαλήφης καὶ τοιούτων τινῶν ἄλλων ἀπέχεσθαι . . . χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις) cum Homeri loco μ 328 sqq., ubi de Ulixis sociis necessitate coactis piscibus vescentibus agitur, cohaerere videntur, cum in Quaest. Conv. VIII, 8, 3, ubi de Pythagoreis piscium esu abstinentibus sermo inicitur, ad versus illos recurratur (cf. etiam de Is. et Osir. 7, p. 353 D); quod enim apud Gellium non generatim pisces nominantur neglegentia quadam factum esse, e verbis Porphyrii, Vit. Pyth. c. 45, concluseris fragmento Aristotelis a Gellio e Plutarcho excerpto simillimis: ἀπέχεσθαι δὲ καὶ ἄλλων παρῄνει, οἷον μήτρας τε καὶ τριγλίδος καὶ ἀκαλήφης, σχεδὸν δὲ καὶ τῶν ἄλλων θαλασσίων συμπάντων.

Atque in quattuor quidem his *Exercitationum Homericarum* fragmentis pro consilio, quod in hoc libello sequimur, subsistendum nobis est; quae enim praeterea tradita sunt (schol. AB Eur. Alc. 1128) de ψυχαγωγοῖς apud Thessalos praestigiatoribus et (schol. A *O* 625; Et. M. s. v.) de v. ἀνεμοτρεφές notione, ut cum poetae versibus quibusdam cohaerere ea in aperto est, ita sectae cuiusdam philosophorum vestigia non produnt. Neque id mirum; nam quattuor libros *Exercitationes* complexas fuisse e Lampriae qui dicitur catalogo constat, fragmenta autem a Gellio servata primo et secundo eorum debentur, neque ea Galeni verborum est condicio, ut uni de qua agit rei operam impendisse Plutarchum dicat.

Egit igitur Plutarchus in duobus certe operis illius libris de Chrysippi Epicuri Pythagoreorum placitis, quam rem ita eum instituisse ut ad versus Homericos recurreret aut certum est aut omnes veri habet numeros. Vix autem tibi persuadebis eum cum ceteros philosophos tum Platonem prae his neglexisse, praesertim cum in libro de Vita Epicurea c. 28 (p. 1105 E) Epicuro opponat *τοὺς ταὐτὰ Πυθαγόρᾳ καὶ Πλάτωνι καὶ Ὁμήρῳ περὶ ψυχῆς δοξάζοντας*, vel de aud. poet. c. 14 (p. 35 F) quanti aestimandum sit praedicet, *ὅταν τοῖς .... μελετωμένοις ἐν διδασκαλείῳ τὰ Πυθαγόρου δόγματα καὶ τὰ Πλάτωνος ὁμολογῇ, καὶ τὰ Χίλωνος παραγγέλματα καὶ τὰ Βίαντος ἐπὶ τὰς αὐτὰς ἄγῃ γνώμας ἐκείνοις τοῖς παιδικοῖς ἀναγνώσμασιν* [1]). Adde de E ap. Delph. 13, p. 390 C; Plat. quaest. 9, 1, p. 1007 F, et quae e commentario in Hesiodum Baedorf l. c., p. 14. 15, attulit.

Ita cum *Μελετῶν* Plutarchi vel certe partis cuiusdam earum notionem quandam haud obscuram informare nobis possimus, per se patet circumspiciendum esse, num e fragmentis *sedis incertae* vel e fontibus hunc in usum nondum adhibitis aliquid erui possit, quod non sine veri quadam similitudine ad easdem referatur.

Ac ne quis novissimi fragmentorum Plutarchi editoris breviloquentia decipiatur atque iis quae (vol. VII p. 173, 19) fr. 146, in quo Platonis et Pythagoreorum dogmata cum Homero componuntur, subiecit: „*ex Stob. ecl. p. 1046 addidi*" acquiescat, scito eclogam illam (I, 49, 60 W.) nominatim Porphyrio tribui, qui num Plutarchi auctoritate nitatur huc certe non pertinet. Aliter autem iudicandum est de fragmento, quod et in ea quam dixi editione et in superioribus inter *incerta* legitur primum (Stob. flor. XXXIII, 16 H. [17 M.]): *Πλουτάρχου· περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ἐχεμυθίας διὰ τούτων σαφῶς δείκνυται· λέγει γὰρ Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οἶος ἐριζέμεναι βασιλῆι* (*B* 264 sqq.)· *καὶ τοῦ Τηλεμάχου εἰπόντος· ἦ μάλα τις θεῶν*

1) Suum tantum iudicium an Stoicorum copias (Elter I, p. 62) in usum suum conversas hac in re Plutarchus sequatur, hic nihil refert.

ἔνδον, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, ἐπιλαμβανόμενος ὁ πατὴρ ἔφη· σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε μηδ' ἐρέεινε· αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι (τ 40 sqq.). *τοῦτο ἐκσίγησιν* ⟨Gomperz, Wien. Stud. II, p. 12⟩ *οἱ Πυθαγορικοὶ καλοῦντες οὐδὲν ἀπεκρίναντο τοῖς περὶ θεῶν ὅ τι* ⟨e coni. Wytt.⟩ *τύχοιεν ἰταμῶς καὶ εὐχερῶς ἐρωτῶσιν.* Quod fragmentum a Wyttenbachio iam etsi cum dubitatione quadam ad *Μελέτας* revocatum quanam ratione cum „*Vita Homeri*", quacum nunc componi solet, cohaereat, postea videndum erit; quaestio enim separari nequit a Galeni libri III loco, cuius partem supra exscripsimus, diligentius examinando, ut num quid ipse habeat, quod e *Μελέταις* petitum sit, perspiciatur.

Duas enim ob res satis memorabilis est locus ille, qui a p. 265, 16 M. incipit; nam neque usquam praeterea, si modo Assmanni indici est fides, Plutarchum affert scriptor polygraphus et ea quae illis quae supra (p. 3 et 5) attulimus subiciuntur (p. 266, 7—274, 11) in re satis perspicua tanta verborum copia utuntur eodemque tam saepe recurrunt, ut duplicem loci cuiusdam Homerici interpretationis rerumque ex ea concludendarum recensionem iis contineri dixeris.

Vituperatur, ut paullo iam supra (p. 259, 4 sqq.), Chrysippus, quod, ut demonstraret rationalis partis animae (*τοῦ λογιστικοῦ*) sedem esse cor, versus cum aliorum poetarum tum Homeri attulerit, qui *τὸ θυμοειδὲς* ibi esse positum iudicarent; debuisse eum afferre versus velut *ἔγνως Ἐννοσίγαιε ἐμὴν ἐν στήθεσι βουλήν* (Υ 20), nam neque tales, etsi numerus eorum sit minor quam illorum, deesse; ei autem, qui testimoniis allatis rem disceptare velit, multo etiam magis adversari eos
A locos, ubi ratio ut iracundiam castigans a poeta inducatur, velut in illis (p. 261, 10): *στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ· τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης* (υ 17. 18). *ταυτὶ γὰρ* — ita pergit Galenus p. 268, 3 [1]) — *ἐποίησε τὸν Ὀδυσσέα*
a *λέγοντα πρὸς ἑαυτόν, ἡνίκα ἐφ' οἷς ἑώρα κατὰ τὴν οἰκίαν πραττομένοις ὑπὸ τῶν θεραπαινῶν ἀνέζεσέ τε τὸ κατὰ τὴν καρδίαν*

1) Hic et in illis quae infra afferentur Muelleri editionem sequor, adhibitis et Peterseni (cf. p. 3) et Caroli Kalbfleisch, in Galeni de Placitis Hipp. etc. observationes (Berol. 1892), dissertationibus.

αὐτοῦ θερμὸν ἔμελλέ τε νικήσας ὁ θυμὸς τὸν λογισμὸν ἐπὶ
ἄκαιρον κόλασιν ἄξειν αὐτὸν τῶν γυναικῶν. Neque enim semper, b
ita ut debeat, fieri ut id quod natura praestantius sit, eques equum,
venator canem, ratio (λογισμός) iracundiam (θυμόν), gubernet,
sed etiam — et varias quidem ob causas — contrarium ac-
cidere, ὥσπερ (p. 269, 5) ἐν Σκύθαις τε καὶ Γαλάταις καὶ c
πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις ἔθνεσιν ὁ θυμὸς κρείττων τοῦ λο-
γισμοῦ, παρὰ ἡμῖν δὲ ἔν τε παισὶ καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις c'
ἀνθρώποις.

Iam sequuntur (p. 269, 8) verba sine dubio lacuna aliqua
hiantia: Ὅμηρος δὲ δὴ τοῦτο αὐτὸ ἐπιδεῖξαι βουλόμενος Ἕκτορα
μὲν καὶ Ἀχιλλέα καί τινας ἑτέρους τοιούτους θυμῷ δουλεύ-
οντας ὑποτίθεται νεανίσκους, Ὀδυσσέα δὲ καὶ Πολυδάμαντα
καὶ Νέστορα τῷ λογισμῷ κρατύνοντας τοῦ θυμοῦ, πολλάκις d
μὲν οὕτως ἰσχυρῶς, ὡς μηδὲ ἐξορμῆσαι πρὸς ἄλογόν τινα
πρᾶξιν τὸν θυμόν, ἔστιν ὅτε δὲ ὁρμῶντα μὲν ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ d'
λογισμοῦ κατεχόμενον, ὥσπερ κἀν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν (υ 5 sqq.)
Ὀδυσσέα πεποίηκεν κτλ.

Prima enim ut optime cum ea re congruunt quod apud
Graecos (vel Romanos) puerorum tantum vel ineruditorum
ratio iracundiae succumbere dicitur — quamquam Hectorem
Astyanactis patrem adulescentulorum numero adscribi nullo
praeter hunc loco me legisse memini —, ita Polydamantem,
ὃς Ἕκτορι ἦεν ἑταῖρος, ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο (Σ 251),
cum Ulixe vel adeo Nestore inter homines provectae aetatis
censeri tolerari nequit. Apertum igitur est, verba aut ex-
cidisse aut a Galeno auctorem, quo utebatur, exscribente
neglecta esse, quibus homines cultioris ingenii (παιδευτοί)
minus excultis opponerentur; nam „ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν,
ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα“ de Hectore et Polydamante
Homerus l. c.

Sed ecce! Statim post verba ὥσπερ κἀν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν
Ὀδυσσέα πεποίηκεν (p. 269, 14), in quibus afferendis paullo
ante substitimus, eaedem fere res iterum leguntur. Ac primum
quidem, postquam versus υ 5—22 integros exscripsit (ἅπαντα
δὲ ἐφεξῆς αὐτὰ παραγράψω), gravibus sane verbis scriptor
testatur, si ullam ipse Homeri habeat scientiam, ver-

sibus illis pugnam iracundiae et rationis explicari (p. 271, 3): *εἰ μὴ σαφῶς ἐν τούτοις Ὅμηρος ἐκδιηγεῖται μάχην θυμοῦ πρὸς λογισμὸν ἐν ἀνδρὶ φρονίμῳ καὶ νίκην μὲν τοῦ λογισμοῦ, τοῦ θυμοῦ δὲ εὐπείθειαν πρὸς αὐτόν, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ἄν τις ἡμῖν συγχωρήσειε μανθάνειν τοῦ ποιητοῦ· τῶν γὰρ οὕτως ἐναργῶς λεγομένων εἰς ἀμφιβολίαν ἀχθέντων, οὐδὲ τοῖς ἄλλοις ἂν ἔχοι τις ὅ τι χρήσαιτο.* Sequitur (p. 271, 8) brevis versuum illorum enarratio (cf. p. 268, 3), in qua, cum *ἀνάζεσις* illa *τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ* (p. 268, 5) non compareat, denuo tamen *ἡ ἀκαιρία τῆς τιμωρίας* commemoratur atque *ὁ λογισμὸς* Ulixis gravissime in *τὸν θυμὸν* eiusdem invectus simili atque supra (p. 268, 7) imagine cum auriga equum ferocientem valido freno coercente comparatur. Iam, *ἐμοὶ μὲν δή*, pergit Galenus (p. 272, 2), *τούτων τῶν ἐπῶν εὐκαιρότατα μὲν ὁ Πλάτων δοκεῖ μνημονεύειν ἐν τῷ τετάρτῳ τῆς Πολιτείας* (p. 441 B), *ἀκαιρότατα δὲ ὁ Χρύσιππος, ἔτι δὲ μᾶλλον ὧν Εὐριπίδης ἐποίησε λέγουσαν τὴν Μήδειαν, ἡνίκα καὶ κατὰ τὴν ἐκείνης ψυχὴν ὁ λογισμὸς ἐστασίαζε πρὸς τὸν θυμόν.* Quae — agitur autem de loco Medeae 1029 sqq. — ubi pluribus, in quibus iterum cum equo et auriga comparatio instituitur, persecutus est, denuo, ut iam in superioribus (p. 269, 5 sqq.) ad discrepantiam, quam inter barbarorum et Graecorum animas esse appareat, recurrit (p. 273, 7): *βαρβάρων μὲν γὰρ καὶ ἀπαιδεύτων ἀνθρώπων ἔθετο παράδειγμα τὴν Μήδειαν Εὐριπίδης, οἷς ὁ θυμὸς ἰσχυρότερος τοῦ λογισμοῦ· Ἑλλήνων δὲ καὶ πεπαιδευμένων, οἷόνπερ αὖ πάλιν ὁ ποιητὴς ὑπέθετο τὸν Ὀδυσσέα, κρείττων ὁ λογισμὸς τοῦ θυμοῦ.* Saepe enim — atque haec quoque antea iam, p. 269, 11, simillimum in modum, sed brevius persecutus erat — rationem tantopere superiorem esse iracundia, ut pugna inter eas oriatur nulla, atque id *τοῖς εἰς τέλος ἥκουσι φιλοσοφίας ὑπάρχειν*, saepe autem iracundiam superiorem esse ratione — *ὁρᾶσθαι δὲ ἔν τε τοῖς πολλοῖς τῶν βαρβάρων καὶ τῶν παίδων* (cf. p. 269, 7) *τοῖς φύσει θυμικοῖς, ἔτι δὲ θηρίων οὐκ ὀλίγοις καὶ ἀνθρώπων τοῖς θηριώδεσιν* —, esse tamen etiam ubi neutra neutram statim, sed *τῷ χρόνῳ* demum, ut in Ulixe ratio, in Medea iracundia, vincat, quippe quae duae aut partes animae aut

facultates eius sint; Chrysippum autem, quamquam neque hoc neque illud statuat, tamen Medeae et Ulixis verbis, quibus ipsius dogma subvertatur, uti non dubitavisse. *A*

Uterque locus quaedam habet sibi peculiaria, prior quidem praeter *ἀνάξεσιν* illam (cf. p. 10 im.) ea, quibus heroes iuvenes, ut qui minus iracundiae restiterint, senibus, qui eam melius coercere potuerint, opponuntur, quamquam excidisse quaedam vel omissa esse (v. p. 11) apparet; ex altero autem si ea, quae de Platone suo iure ad Ulixem libri *υ* provocante et de Medeae Euripideae verbis a Chrysippo, suum ut placitum stabiliret, perperam adhibitis afferuntur, sustuleris, reliqua superioribus — id quod litteris et Latinis et Graecis inter se respondentibus in margine positis significavimus — tam similia sunt, ut ordo tantum dispositionis paullulum discrepet.

Iam cum inter omnes constet, id ipsum vitium, quod in Chrysippo Galenus vituperet (velut p. 285, 4; 330, 1), nimiam dico et inanem loquacitatem, in eum ipsum cadere, eundemque, quamvis contrarium de se praedicet (p. 666, 10; 693, 4), res vel facillimas intellectu plus semel repetere — cui rei id ipsum documento est, quod in libro quinto, p. 486 sqq., ubi de Platonis Reipublicae libro IV extremo agit, iterum ad Ulixem pectus pulsantem atque cor gravibus verbis increpantem recurrit eademque re iterum contra Chrysippum utitur —, tamen de duabus illis tertii libri de Odysseae *υ* initio diputationibus, quippe quarum altera deinceps alteram sequatur, ita ut timendum non fuerit, ne ea quae priore loco exposita erant memoriae legentium excidissent, aliter esse iudicandum contendimus.

Quidnam autem sit rei ex iis apparet, quae paullo post libri III verba, quorum summam supra attulimus, a Galeno scripta videmus (p. 274, 14 sqq.): *ἐμπέπλησται γὰρ ὁ περὶ ἡγεμονικοῦ λόγος ὑπὸ Χρυσίππου γεγραμμένος ἐπῶν ποιητικῶν ἤτοι τὰ πάθη περὶ τὸν θώρακά τε καὶ τὴν καρδίαν συνίστασθαι μαρτυρούντων ἢ δύο εἶναι τῆς ψυχῆς δυνάμεις τῷ γένει διαφερούσας ἀλλήλων, τὴν μὲν ἄλογον τὴν δὲ λογικήν· ὥσπερ γὰρ ἐξ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου βραχέα παρεθέμην ὀλίγῳ πρόσθεν, ὧν ὁ Χρύσιππος ἔγραψεν, οὕτως ἐξ Ὀρφέως καὶ Ἐμπεδοκλέους*

καὶ Τυρταίου καὶ Στησιχόρου καὶ Εὐριπίδου καὶ ἑτέρων ποιητῶν ἐπῶν μνημονεύει παμπόλλων ὁμοίαν ἐχόντων ἀτοπίαν κτλ. At in iis quae antecedunt non Homeri tantum Hesiodique, sed ipsius etiam Euripidis versus attulerat atque hos quoque a Chrysippo perperam in partes vocari — id quod hic tamquam rem novam inducit — demonstraverat! Ita cum dubitari nequeat, quin Galenus, cum poetarum illorum nomina scriberet, eam quae nunc antecedit de Medeae loco disputationem ante oculos non habuerit, verba autem de Ulixe libri υ agentia ab ea separari non possint [1]), vel hanc ob causam omnia, quae inde a p. 265, 14/15 vel p. 271, 3 vel adeo 271, 8 — de termino enim ambigi potest — usque ad p. 274, 11 leguntur, postea addita esse, ita ut verba, quibus nunc prior de υ init. disputatio clauditur (p. 269, 14 vel p. 271, 2 vel 8), olim a p. 274, 11 sqq.: πῶς ἂν οὖν τις διαλέγοιτο τοιούτοις ἀνδράσι κτλ. exciperentur, statuendum est.

Ita omnia egregium in modum procedunt; nam verbis illis (p. 274, 14 sqq.) de poetis a Chrysippo allatis, quae modo exscripsimus, Galenus omnia breviter complectitur, quae inde a p. 261, 2 usque ad p. 269, 14 vel 271, 3 (8) persecutus erat, atque Homeri Hesiodique locos nonnullos a se appositos esse cum dicit, ad p. 265 legentes revocat: ἀλλὰ ἐξ Ὁμήρου μὲν ἱκανὰ καὶ ταῦτα, τῶν δὲ ἐξ Ἡσιόδου παραγραφέντων ὑπὸ Χρυσίππου .... ἀρκέσει μοι δυοῖν ἢ τριῶν ἐπιμνησθῆναι κτλ.

At quis post Galenum tam acer fuit Chrysippi adversarius tantoque rerum, quas ille satis iam persecutus erat, denuo demonstrandarum studio tenebatur, ut alteram quasi recensionem disputationis illius interpolaret? Novi neminem — nisi Galenum ipsum. Quem opus de Placitis Hipp. et Platonis ita confecisse, ut primo quidem inter annos p. Chr. n. 164—68 sex priores eius libros scriberet, tum post annum 169, cum Romam rediisset, non solum reliquos iis adiungeret, sed etiam superioribus adderet quaedam vel insereret, ita ut tum demum

1) Non neglegendum est, ut ipse Plato suae sententiae testem locum Odysseae attulerit, ita Platonicos (vid. Albini isag. c. 24) eam in rem Euripidis Medeae et fragm. 841 N. versibus usos esse.

in eam quam nunc habemus formam redacti sint, per Ioannem Ilberg, Mus. Rh. XLIV, p. 217. 18; 228. 29, constat.

Iam fac Galenum, cum librum tertium retractaret, suum esse existimasse verba scriptoris cuiusdam magnae apud omnes auctoritatis de Ulixe Odysseae *υ* agentis, quorum antea partem tantum attulisset vel excerpsisset, in annotatione aliqua textui adscripta pleniora vel adeo integra [1]) addere, eamque annotationem postea in textum irrepsisse vel cum eo consulto coniunctam esse [2]): omnis difficultas sublata statimque explicatum erit, cur Galenus p. 275, 5 Euripidis, quem, qualis nunc est verborum eius condicio, iam nominavit, ut nondum a se, sed a Chrysippo tantum allati mentionem faciat.

Scriptorem autem illum esse Plutarchum, quem Galenum p. 266, 3 praeter consuetudinem suam contra ipsum Chrysippum hac in re testem advocare supra vidimus, omnes veri habet numeros; quid, quod ipsa verborum illa *ὡς καὶ Πλούταρχος — ἐπέδειξεν* (p. 266, 3) satis mira collocatio, quae Iwano Mueller causa exstitit ut *αὐτοῦ*, quod codices exhibent, in *αὐτούς* mutaret (cf. p. 4), facillime explicatur, si ea quoque una cum annotatione illa curis secundis a Galeno addita esse statuemus.

Et quadrant omnia, quae posteriore certe loco scripta videmus, in Plutarchi agendi rationem: Plato, ut qui loco Odysseae optimo iure usus sit, laudatur, Chrysippus contrarium in modum vituperatur; *ἀπαιδεύτους* libidinibus resistere non posse et hic (p. 273, 7) et idem de aud. poet. 11, p. 31 C monet; *θηριῶδες* esse *καὶ οἰκτρὸν καὶ ἄλογον εἰδότα τὸ βέλτιον ὑπὸ τοῦ χείρονος ἐξ ἀκρασίας καὶ μαλακίας ἄγεσθαι*, quod in eodem libro c. 12, p. 33 F, dicit, simillimum est ei, quod apud Galenum, p. 274, 2, *τῶν ἀνθρώπων τοῖς θηριώδεσιν* tribuitur iracundiam habere ratione adeo superiorem, ut ipsa sola imperium obtineat; quamquam concedendum est, cum talia apud philosophos, qui quaestiones morales attigerunt, satis sint usitata, originem Plutarcheam ex iis effici non posse; idem

1) Verba p. 271, 3—8 ita accipienda esse statuerit quispiam; sed (p. 14) iam significavimus dubitari posse an ipsius Galeni sint.

2) De re quadam simillima v. Arnim egit, Leben und Werke d. Dio von Prusa, p. 170 sq.

in comparationem et hic (p. 271, 14; 272, 10) et in altero illo libro c. 11, p. 31 D, inter iracundiam a ratione gubernatam et equum frenatum institutam cadit.

Prioris autem de libri *υ* initio disputationis, qua primo quidem Galenum contentum fuisse posuimus, ea est condicio, ut eum Plutarchea in formam redacta multo breviorem liberius in usum suum convertisse statuendum sit. E quibus quae de Nestore et Polydamante ab Achille et Hectore adulescentulis (*νεανίσκοις*) in iracundia coercenda discrepantibus dicuntur (p. 269, 8 sqq.), manum excerpentem experta esse parum felicem supra iam (p. 11) persecuti sumus. Neque magis ipsa verba quae Plutarcho debeantur in iis discreveris, quae initio statim versuum allatorum periphraseos leguntur (p. 268, 3): *ταυτὶ γὰρ Ὅμηρος ἐποίησε τὸν Ὀδυσσέα λέγοντα πρὸς ἑαυτόν, ἡνίκα ἐφ᾽ οἷς ἑώρα .... ἀνέζεσέ τε τὸ κατὰ τὴν καρδίαν αὐτοῦ θερμὸν ἔμελλέ τε νικήσας ὁ θυμὸς τὸν λογισμὸν ἐπὶ ἄκαιρον κόλασιν ἄξειν αὐτὸν τῶν γυναικῶν.* Nam cum fervor sanguinis verbis poëtae, qui *τοῦ δ᾽ ὠρίνετο θυμός* et *κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει* habet (*υ* 9. 13), haudquaquam indicetur, in superioribus autem (p. 256, 11), ubi Chrysippus vituperatur, quod non, ut sibi visus esset, *τοῦ λογιστικοῦ* sed *τοῦ θυμοειδοῦς* sedem esse cor demonstravisset, et huius sententia, *ὡσανεὶ ἀναθυμιωμένου τοῦ θυμοῦ ἐκ τῆς καρδίας καὶ ὠθουμένου ἐκτὸς ἐπί τινα καὶ ἐμφυσῶντος τὸ πρόσωπον καὶ τὰς χεῖρας γίγνεσθαι ἔμφασιν*, et Platonis similia quaedam (Tim. p. 70 A B) ad vetus [1]) illud placitum, quo *ὁ θυμὸς* (vel *ἡ ὀργή*) *ζέσις* esse perhibebatur *τῆς ἐμφύτου θερμότητος κατὰ τὴν καρδίαν*, revocata sint, etiam periphrasi loci Homerici id genus doxographica quaedam adhaesisse existimanda sunt. Quorum originem vix falletur, qui item e Plutarchi *Μελέταις* repetiverit. Omnino enim in iis quoque, quae ante verba Galeni de libro *υ* agentia leguntur, dubitari posse an sint quae his debeantur, facile concedet, qui quanam ratione veteres scriptores in auctoribus suis citandis utantur — multa exscribunt, pauca iis accepta se referre profitentur — meminerit.

1) Arist. an. I, 1, p. 403 *a* 30; Theophr. de sudor. (fr. IX) § 36.

II.

Iis quae adhuc disputavimus non solum Plutarchi Chaeronensis librorum deperditorum reliquias fragmento haud exiguo ex *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* vel excerpto vel transcripto ditatas, sed etiam huius libri, vel partis eius certe, quale consilium fuerit certius, quam adhuc factum sit, perspectum esse qui concedet, is, si idem „*Vitam Homeri*", quae in codicibus manuscriptis Plutarcho tribuitur, diligenter perlegerit, multorum huius quoque capitum (inde a 93°, maxime autem a 122°), quamquam de multis rebus brevissimum in modum agatur, prorsus idem esse consilium statim intelleget, id dico, ut quatenus variorum philosophorum placita cum Homero congruant demonstretur. Iam cum „*Vita*" in codicibus, quorum quidem aliquod sit momentum (v. p. 24), non, ut in editionibus quibus utimur, *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου*, sed *περὶ Ὁμήρου* tantum inscripta sit, prorsus eadem autem ratione Gellius fragmenta e *Μελέταις* excerpta in medium proferat (v. p. 6), utramque ob rem quaerendum videtur esse, num in singulis quoque rebus aut verbis sint, quae eo ducant, ut *περὶ Ὁμήρου* quem nos habemus liber cum *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* Plutarchi quadam certe ex parte cohaerere existimandus sit. Quadam ex parte dico; quod enim Baedorf l. supra cit., p. 43 sq., posuit magis quam probavit, *Vitam* unum e *Μελέταις* esse librum, sed haud paucas mutationes expertum, obtineri non posse [1]) videbimus. Nos autem ita procedemus, ut primo quidem, quasi res nunc quoque sit integra, ea quae de universa libelli Homerici indole effecisse sibi et alii et ipse (Porph. Il. p. 400 sqq.) mihi visi eramus,

1) Oblocutus est Baedorfio etiam Bernardakis, VII, p. IX.

non curemus. Utile enim — ne dicam necesse — est, quaestionem difficultatibus undique bene munitam nova quadam ex parte aggredi.

E Galeni verbis effecimus, Plutarchum in *Μελέταις* de Ulixe libri *υ* disputantem pluribus verbis de ratione iracundiam impugnante quoque modo verbis poetae et Plato et Chrysippus usi essent egisse, quam disputationem cum ea re, quod Chrysippus, ut demonstraret *τὸ ἡγεμονικὸν* esse positum in corde, plurimos attulit versus, qui non huius, sed *τοῦ θυμοειδοῦς* ibi esse sedem docent, cohaerere apparet (v. p. 10). Iam audias [1] libri *περὶ Ὁμήρου* cap. 129 initium: *τῆς δὲ ψυχῆς ἐχούσης, ὡς καὶ τοῖς φιλοσόφοις δοκεῖ, τὸ μὲν λογικὸν, ἐνιδρυμένον τῇ κεφαλῇ, τὸ δὲ ἄλογον, καὶ τούτου τὸ μὲν θυμικὸν ἐνοικοῦν τῇ καρδίᾳ, τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν ἐν τοῖς περὶ τὴν γαστέρα, ἆρ᾽ οὖν οὐ πρότερον* <corr. ex — ος> *Ὅμηρος εἶδε τὴν τούτου διαφοράν;* Platonis [2] hanc esse animae partium discriptionem, ad quam apud Galenum contra Chrysippum tot locis recurritur, vix est quod moneamus. Priusquam autem partium illarum discriptionem ex Homero pendere demonstret (cap. 130), auctor libri *περὶ Ὁμήρου* ad rationem iracundiae adversantem recurrit, eodem nimirum, quo Plutarchum apud Galenum usum esse vidimus, consilio, ut necesse esse (cf. Albini isag. cap. 24) diversas animae partes statuere demonstret: ὃς (Homerus) *ἐποίησεν* — ita pergit post ea, quae modo exscripsimus — *ἐπὶ μὲν τοῦ Ἀχιλλέως τὸν λογισμὸν τῷ θυμῷ μαχόμενον καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ῥοπῇ διανοούμενον ἢ ἀμύνεσθαι τὸν λελυπηκότα ἢ παῦσαι τὸν χόλον· ἕως ὅτ᾽ αὖθ᾽ ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν* (*Α* 193), *τουτέστι τὴν φρόνησιν καὶ τὴν*

---

1) In verbis libelli Homerici afferendis, nisi contrarium dicam, codicem sequar Parisinum 1671 (ann. 1296), cuius in urbe patria excutiendi summorum virorum, penes quos regimen est Bibliothecae Nationalis, comitate mihi facta est copia. Minutias orthographicas hic omitto.

2) *τοῖς φιλοσόφοις*, quod initio capitis legitur, male esse decurtatum in aperto est. Casu factum esse videtur, ut et hic et cap. 124 Platonici ita afferantur. An utroque loco *τοῖς αὐτοῖς φιλοσόφοις* scribendum est, ita ut cap. 124 Platonici et Pythagorei (cf. cap. 122), cap. 129 propter 128 Plato et Aristoteles (parum accurate sane) significentur?

ἀντικειμένην αὐτῷ (?) *θυμικὴν ὀργήν, ἧς τὴν φρόνησιν ἐπικρατοῦσαν πεποίηκε· τοῦτο γὰρ αὐτῷ ἡ ἐπιφάνεια τῆς Ἀθηνᾶς βούλεται. καὶ ἐν ἄλλοις δὲ ποιεῖ τὸν λογισμὸν τῷ θυμῷ παραινοῦντα καὶ ὥσπερ ἄρχοντα τῷ ὑποτεταγμένῳ κελεύοντα· τέτλαθι δή κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης* (υ 18). *καὶ πολλάκις μὲν τῷ λογισμῷ πείθεται τὸ θυμούμενον, ὡς ἐν τούτοις· ὣς ἔφατ' ... τετληκυῖα* (υ 22. 23)· *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ λυπούμενον* (citantur versus Σ 112. 13)· *ἐνίοτε δὲ περιγινόμενον τὸν θυμὸν τοῦ λογισμοῦ παρέστησεν· ὅπερ οὐκ ἐπαινῶν ἀλλὰ ψέγων φανερός ἐστιν, ὡς ὁ Νέστωρ τῷ Ἀγαμέμνονι τὴν εἰς τὸν Ἀχιλλέα ὕβριν ὀνειδίζων φησίν* (*I* 108 sqq.)· *οὔτι καθ' ἡμέτερόν γε νόον ... σὺ δὲ σῷ μεγαλήτορι θυμῷ εἴξας ἄνδρα φέριστον .... ἠτίμησας· ὅμοια δὲ τούτοις καὶ ὁ Ἀχιλλεὺς πρὸς τὸν Αἴαντα λέγει* (*I* 645)· *πάντα τί μοι κατὰ μοῖραν ἐείσω μυθήσασθαι· ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' κτλ.*

In quibus quae de Ulixe cor ut sedem iracundiae increpante atque rationis imperio subiciente leguntur quam similia sint Galenianis, quae ad Plutarchum rettulimus, non est quod pluribus persequamur, neque illud quod utroque loco non semper iracundiam a ratione vinci, sed esse etiam ubi ratio ab iracundia superetur exponitur; discrepantiae enim illi, quod apud Galenum huius quidem rei cum generatim iuvenum virorum (p. 269, 8) tum Medeae affertur exemplum, in altero libro Agamemnonis et Achillis (qui tamen ipse quoque apud Galenum inter iuvenes iracundia inferiores nominatur), non nimium tribuet, qui perpenderit, capitis 129 auctorem non ipsa re afferenda — ut apud Galenum Plutarchum — acquievisse, sed poetae de ea iudicium afferre voluisse, ita ut alia quaedam eligere exempla debuerit.

At quae initio huius capitis leguntur de Achille, cuius ratio cum iracundia pugnaverit quique — apertum enim est ad v. *διανοούμενον* eius nomen esse supplendum — eodem temporis puncto consideraverit, utrum inimicum ulcisceretur an iram mitigaret, in iis quae modo Plutarcho vindicavimus desiderantur; quod autem victoria, quam *φρόνησις* a *θυμικῇ ὀργῇ* reportaverit, ad Minervae praesentiam refertur, adversa fronte

2*

cum iis pugnat! At hoc quidem cum ipso cap. 129, in quo occurrit, pugnat; qui enim, ut demonstraret diversarum animae partium in corpore diversas esse sedes, victoriae, quam pars rationalis in capite posita ab iracundia in corde habitanti reportavisset, testimonio utebatur, ei numen quoddam extrinsecus agens inducere non licebat; allegorica autem ab hac de animae partibus disputatione non minus quam a Plutarcheis, quae Galenus servavit, aliena sunt. Accedit, quod quidnam intersit inter Achillem *τῇ αὐτῇ ῥοπῇ* — ut ibi scriptum videmus — *διανοούμενον ἢ ἀμύνεσθαι τὸν λελυπηκότα ἢ παῦσαι τὸν χόλον* et Ulixem, qui statim citatur, eodem item temporis puncto dubitante, utrum ancillas interficiat an iis parcat (*υ* 10sqq.), non intellegitur. Adde quod, cum id agatur, ut e diversarum animae partium inter se contentione sedes earum in corpore esse diversas efficiatur, parum apte ad versum *Α* 193: *ἕως ὅ τ᾽ αὐθ᾽ ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν* recurritur; quis enim altero caput [1]) altero cor — id quod propter disputationis initium postulatur — significari concedet? Neque denique illud neglegendum est, in verbis versui illi explicando adiectis non ut in reliquo capite *τὸν λογισμόν*, sed subito *τὴν φρόνησιν τῇ θυμικῇ ὀργῇ* opponi. Quae cum ita sint, dubitari nequit quin quae in eo capite de Achille secum ipso pugnante leguntur reliquis perperam addita sint; unde autem fluxerint postea apparebit.

Capite autem eiusdem libelli 130, quod cum c. 129 cohaeret, demonstratur e verbis Homeri, animi perturbationes circa cor ab eo collocari, iram aegritudinem metum audaciam, circa ventrem autem cupiditatem (*τὸ ἐπιθυμητικόν*), prorsus eodem modo, quo apud Galenum paullo ante duplicem illam de *υ* init. disputationem de iis agitur, p. 261sqq., in quibus item Plutarchea latere veri est simile (v. p. 16). Utroque autem loco (apud Galenum quidem p. 261, 8; 262, 12) versus

1) In scholiis B T *Α* 193 et *Θ* 169, quamquam v. *φρήν* et v. *θυμός* diversae partes animae significari dicuntur, ad diversas corporis partes non recurritur. Quod autem in Etymol. Gud. p. 389, 3: *ἐν τῇ κεφαλῇ αἱ φρένες* (cf. Matthaei, Lection. Mosq. II, p. 39) esse perhibentur, ad v. *μετάφρενον* significationem quandam explicandam excogitatum est.

leguntur iidem: *κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει* (υ 13) et *καρδίῃ ἄλληκτον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι*[1]) (*Λ* 12 vel *Σ* 152); qui etsi una cum reliquis apud Galenum Chrysippi ad placitum refutandum, in altero libro Platonis ad dogma stabiliendum afferuntur, res tamen eodem redit. Quid, quod verbis, quae scriptor libelli *περὶ Ὁμήρου* versui *Λ* 12 (vel *Σ* 152) subiecit: *ἐκ δὲ τῶν εἰρημένων ἔδοξε τοῖς Στωικοῖς τὸ ἡγεμονικὸν εἶναι περὶ καρδίαν*, elucet, in eo quoque libro, unde sua excerpsit, Stoicam horum locorum interpretationem parum sane idoneam (cf. p. 18) fuisse reiectam.

Iam redeamus ad locum e Stobaei florilegio supra (p. 9 sq.) exscriptum; quem cum Wyttenbach ad *Ὁμηρικὰς Μελέτας* referri posse existimavisset, propter *Vitae* cap. 149 [2]) quibusdam in rebus ei simile inde a Dielesii in Doxogr. p. 97 sqq. disputatione ad *enchiridion Homericum subdita Chaeronensis persona ex antiquo allegoriarum corpore excerptum*, quo ex enchiridio *Vita* quoque fluxerit, revocare consuevimus. Nunc autem, si via, quam ingressi sumus, processerimus, eo feremur, ut, quo modo ea, quae in *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* de philosophorum quorundam de anima placitis cum Homero conferendis Plutarchus Chaeronensis attulerat, et in Galeni de Placitis Hipp. et Plat. librum et in *Vitam* transierint, similem in modum ea, quae de Pythagorae praeceptis quibusdum ad Homerum revocandis in eodem libro persecutus ille erat, et a Stobaeo eiusve fonte et a *Vitae*, quam nos habemus, scriptore excerpta vel transcripta esse statuamus.

---

1) Apud utrumque *καρδίη* <sic> legitur et versus sine verbis, quae praecedunt, ad eum intellegendum necessariis (*μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ*) occurrit. Cui rei eo plus tribuendum est, quod altero loco non solum cod. Paris. 1671 et Laur. conv. soppr. 57 huic simillimus, sed etiam Riccardianus plurimis locis alteram quandam recensionem exhibens iis carent.

2) Cuius verba hoc loco adscribere, cum non solum a Dielesio l. c., sed a Baedorfio quoque, p. 4. 5, et Bernardace (VII, p. XVI. XVII) cum ecloga Stobaeana composita sint, non est necessarium. Ceterum Baedorfius, qui eclogam artificiis quibusdam ex ipsius *Vitae* de hac re disputatione detorquere conatus est, ea certe in re verum videtur vidisse, quod quae initio eclogae scripta sunt: *περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ἐχεμυθίας διὰ τούτων σαφῶς δείκνυται*, a Stobaeo de suo addita esse existimavit.

Congruit cum hac quaestionis solvendae ratione non solum quod e fragmento *Μελετῶν* a Gellio allato effici potest, Pythagoreorum de cibis quibusdam vitandis praeceptum a Plutarcho in eodem libro cum Homeri auctoritate fuisse compositum (v. p. 8), sed etiam quod in Quaest. Conv. VIII, 8 et de hac Pythagoreorum abstinentia et de *ἐχεμυθίᾳ* eorum uno eodemque loco egit. Recte enim multorum *Vitae* locorum originem Plutarcheam ea re comprobari, quod similia *„Moralium"* quibusdam locis continerentur, multis exemplis illustraverunt cum Baedorf, p. 9 sqq., tum Bernardakis, p. XX sqq., quamquam utriusque in copiis adhibendis cautela opus est, praesertim cum multis locis inter ea quae alios dicentes facit Plutarchus et quae ipse statuit diligentius distinguendum sit.

Ex iis autem, quae praeter Stobaei eclogam a posterae aetatis scriptoribus adiecto auctoris nomine e *Vita* citantur, nihil lucramur; nam cum ecloga de Pythagoreis agens ab huius capite 149 adeo differat, ut ex eo ipso hausta esse nequeat, reliqui loci Plutarchi nomine insignes cum ipsa *Vita*, qua nunc utimur, tantopere congruunt, ut eam iam tum in hanc formam, quam non unius auctoris operam prodere postea apparebit, redactam fuisse demonstrent.

Referuntur enim in Etymologico quod vocatur Magno (p. 184, 31) verba capitis 9: *Πλούταρχος δὲ ἀπὸ τοῦ ὀπίσω τὸ ἄψ λέγει εἶναι, τοῦ ō εἰς ᾱ τραπέντος καὶ τοῦ π̄* ⟨*καὶ τοῦ σ̄* add. Steph.⟩ *εἰς ψ*, quibus rectissime *τοῦτο δὲ βίαιον* additum est; verba cap. 145, quibus docetur *δύην* cum *τῇ δυάδι* cohaerentem *τὴν κάκωσιν* significare, auctore nominatim allato Eustathius *σ*, p. 1835, 37 circumscripsit; capita 106; 202; 108 inter scholia codicis Vindobon. 133 (saec. XIII) ad versus Odysseae *ε* 272; *τ* 86; *υ* 351 addito *Πλουτάρχου* adscripta sunt. His igitur cum nihil doceamur nisi aliquot iam ante saec. XIII extremum, cui codex libri *περὶ Ὁμήρου* antiquissimus (Paris. 1671) debetur, saeculis partium quarundam libelli eandem atque nunc fuisse condicionem — id quod per se statuendum fuit —, mirum sane videtur scholio codicis Darmstadiensis saec. XV vel adeo XVI ad Dionysii Halicarn. de comp. verb. epitomes (ed. a Fried. Hanow, Progr.

Sorav. 1868) caput 21 adscripto (Han. p. XXI not.): ὁ δὲ Πλούταρχος τὸ μὲν τῆς συνθέσεως ἁδρὸν τὸ δὲ ἰσχνὸν τὸ δὲ μέσον καλεῖ (cf. Vit. c. 72), quod vel ex iis qui nobis servati sunt codicibus adscriptum esse potest [1]), non solum Baedorfium, p. 6, sed etiam Volkmannum, Leben etc. d. Plut. I, p. XIV, non nihil tribuisse.

Immo his testimoniis neglectis, ut ab eo quod effecisse nobis videmur, inesse nimirum in libro περὶ Ὁμήρου quae e disputatione de placitis philosophorum in Ὁμηρικαῖς Μελέταις instituta fluxerint, proficiscamur: neque omnia, quae id genus nunc *Vita* exhibet, neque reliqua quae in ea leguntur Homerum eiusque auctoritatem spectantia indidem pendere concludi potest; quem in errorem Bernardakis incurrit, quamvis propterea laudandus sit, quod *Vitae* et excerptis quibusdam Stobaei (cf. p. 37, 2) cum *Μελέταις*, quae tamen quod consilium secutae essent non quaesivit, necessitudinem quandam intercedere intellexit (vid. Plut. Mor. VII, p. IX—XLIV). Etenim librum περὶ Ὁμήρου, ut inscribendum eum esse codices docent, neque unum esse unique auctori debitum neque ex uno unius auctoris libro ita excerptum, ut pauca quaedam aliunde in eum illata facile secerni possint — id quod Baedorf l. c., p. 30, existimavit —, sed e variis partibus esse compositum, ne dicam variis e laciniis esse conglutinatum, et indicio quodam quod codicibus manuscriptis debetur proditur et cum suturis quibusdam eam partium inter se compositionem male tegentibus tum diversa variarum illarum partium ratione rerum tractandarum demonstratur.

Antiquissimi enim codices [2]) (sunt autem saec. XIII vel

---

1) Etiam in codice Iliadis Neapolitano (Gr. 158; II, F2, saec. XV exeuntis) ante ipsum carmen verba leguntur διὰ μὲν τῆς Ἰλιάδος — γενναιότητα (Bern. VII, p. 338, 22. 23), ἄνευ γὰρ τούτων — αἱρεῖσθαι τὰ βελτίω (p. 339, 1—3), φανεῖται πάσης λογικῆς — παρεχόμενος (p. 339, 20—24), ita ut singulis illis locis praemissum sit Πλουτάρχου.

2) E codicibus Parisino 1671 (cf. p. 18, 1) et Riccardiano (cf. Herm. XXII, p. 306, et Wochenschr. f. kl. Phil. 1892, p. 232) librum totum, e Laurentiano magnam eius partem ipse contuli; de ceteris libris Parisinis quae attuli, insigni debeo I. L. Heibergii rogationi meae benignissime obsecuti comitati.

XIV), in quibus *Vitam* inscriptam esse περὶ Ὁμήρου supra iam (p. 17) significavimus, duos eius libros, in quos in editionibus disiuncta est, non agnoscunt, codices dico Parisinos 1671 et 1672 et Laurentianum, Conv. soppr. 57 (cf. Stud. Ital. I, p. 145)[1]. Neque Parisinus 2697, in quo inscriptio libri desideratur — continet autem omnia inde ab initio usque ad v. ἑτέρῳ c. 136, p. 410, 25 Bern. — aut Riccardianus 30, in quo liber, cui recentior quaedam manus Πλουτάρχου εἰς τὸν βίον τοῦ Ὁμήρου addidit, Iliadi praemittitur, inter duos *libros* distinguunt. Eadem hac in re condicio est codicis saec. XV Parmensis (sec. Martini, catalogo dei MSS esistenti nelle bibl. Ital., I, 1, p. 197), in quo liber ut in Riccardiano inscriptus est. Neque Isaak Porphyrogennetus, qui saec. XI ea quae antiquis e scriptoribus collegisse se iactat ex eodem περὶ Ὁμήρου libro, quem tamen non nominat, hausit (cf. Wachsmuth, Mus. Rh. XVIII, p. 136sqq.; 326) ullam inter utramque partem distinctionem habet; adde quod antiquissimae etiam editiones, et Xylandri, qui librum εἰς τὸν Ὁμήρου βίον inscriptum una cum libro *de audiendis poetis* Basileae 1566 edidit, et eorum qui eum una cum aliis quibusdam libellis Homeri carminibus addiderunt, Demetrii Chalcondylae dico Florentinam (1488) et Aldi Manutii editiones (inde ab anno 1504) et eorum qui has secuti sunt, omnia unius libri ad instar exhibent. Exstat sane in quibusdam et codicibus[2] et editionibus inter utramque partem vacuum quoddam spatium exigui ambitus, sed idem inter ipsius *libri* qui fertur secundi partes quasdam invenitur.

Duo tantum codices recentis memoriae inter utramque partem distinguunt, Parisinus 1868 (saec. XV), in quo priori Πλουτάρχου εἰς τὸν βίον τοῦ Ὁμήρου, alteri ἔτι περὶ τοῦ γένους

1) Idem sine dubio de cod. Ambros. C 126 inf. (saec. XIII/XIV) statuendum est, quem cum Parisinis 1671. 72 congruere Treu docuit (Progr. gymn. Vratisl. 1884, p. 11).

2) In Paris. 1672 cum verbis Ὅμηρον τὸν ποιητὴν (p. 337, 3 Bern.) nova linea incipit, in fine superioris parvulo relicto spatio vacuo, cum reliqua capita (omniane?) in ipsis lineis incipi soleant; in Paris. 1671 iisdem verbis, sed a manu recentiore adscriptum est ἄλλως.

καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου adscriptum est, et Marcianus 531 (eiusdem aetatis), si quidem in hoc illic *Πλουτάρχου βίος Ὁμήρου καὶ περὶ τῆς αὐτοῦ ποιήσεως*, hic *ἔτι περὶ τοῦ γένους κτλ.* (ut in superiore) legitur (vid. Studemund, Ind. lect. Vratisl. 1887/88, p. 5).

Ex editoribus autem cum, qui primus *περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου* titulum constituit, Henr. Stephanus (1566, in Poet. Gr. princip. heroic. carm., p. VIII sqq.) omnia ut unum librum edidisset — ut aliorum post hunc, velut Galei, Barnesii, Ernestii *duas Vitas* originis diversae constituentium rationes omittam —, duos libros eiusdem quasi operis eodem modo, quo Stephanus usus erat, inscripti primus Wyttenbach edidit, quem non solum Hutten et Duebner, sed etiam Bernardakis secuti sunt.

Haec cum eam ob rem pluribus persecuti sumus, ne error iam inveteratus latius et diutius propagaretur, tum quia res ad libri *περὶ Ὁμήρου* originem et fata perspicienda haudquaquam momento caret. Nam cum capita quae prioris esse libri perhibentur (p. 329—336 Bern.), quae ab iis quae sequuntur diversae esse originis iam Xylander (p. 215) perspexit, in codicibus et editionibus antiquissimis ita tradita sint, ut eius rei vestigium vix adsit ullum, nonne aliarum etiam alterius qui fertur libri partium male inter se cohaerentium eandem esse condicionem vel hanc ob rem veri simile est?

Sunt enim ipsius libri illius qui ferebatur secundi partes quaedam tam male inter se cohaerentes, ut mirum sane videatur neminem adhuc in ea re offendisse. Atque ut priora eius capita, cum et longiorem postulent disputationem et ab iis, in quibus Plutarchea videri latere supra effecimus, nimium distent, nunc quidem neglegamus, capitum inde a 74° finibus nos continebimus.

Incipit caput 74 a verbis: *ἐπεὶ δὲ παντὸς τοῦ ἀσκουμένου παρὰ ἀνθρώποις λόγου ὁ μέν τίς ἐστιν ἱστορικὸς ὁ δὲ πολιτικός, φέρε θεασώμεθα, εἰ καὶ τούτων εἰσὶν αἱ ἀρχαὶ παρ' αὐτῷ.* Ita quidem codices, nam quod nunc in editionibus post *ἱστορικός* insertum est: *ὁ δὲ θεωρητικός* Wyttenbachii coniecturae debetur. Quae coniectura ut propter capitis 92, inde

a quo capite comparatio placitorum cum Homero instituta incipit, verba: ὁ δὲ θεωρητικὸς λόγος ἐστὶν ὁ περιέχων τὰ καλούμενα θεωρήματα, ἅπερ ἐστὶ γνῶσις τῆς ἀληθείας γινομένη μετὰ τέχνης, necessaria esse videbatur, ita vestigium quoddam, quod ad veram harum partium condicionem perspiciendam ducere poterat, male oculis subduxit. Cum enim, postquam cap. 90 disputatio de λόγῳ qui vocatur ἱστορικῷ finita est, cap. 91 ad ea quae sequuntur transitus fiat verbis: σκεψώμεθα δὲ καὶ τὰ λοιπὰ εἴδη τῶν λόγων, εἰ ἔστι παρὰ τῷ Ὁμήρῳ πρώτῳ καὶ τὰς ἐννοίας αὐτῶν λαβόντι καὶ ἐνεργῶς ⟨ἐναργῶς Ricc. recte⟩ κατασκευάσαντι· ὁμοίως ὀλίγα παραδείγματα παρατεθέντα καὶ τὰ ἄλλα νοεῖν παρασκευάσει, tum autem (cap. 92) pergatur: ὁ δὲ θεωρητικὸς λόγος κτλ., haec ultima cum iis quae antecedunt male cohaerere nemo semel monitus negabit. Accedit alterum: verbi λόγος in hoc ipso capite longe alia est notio atque eiusdem in iis, quae capp. 74—90 et capp. 161 sqq. de ἱστορικῷ λόγῳ et de πολιτικῷ et dicuntur et exemplis allatis illustrantur. In his enim generis dicendi forma tantum spectatur, de rebus nihil; in capitibus contra de θεωρητικῷ λόγῳ agentibus res tantum afferuntur, nihil de forma dicendi. Nam ne quis hanc distinctionem ea re impugnari posse existimet, quod inde a cap. 175 cum πολιτικῷ λόγῳ etiam de vita et publica et privata, qualis Homeri temporibus fuerit, quaestiones coniunctae esse videantur: initio cap. 176 quae leguntur: πρῶτος τοίνυν Ὅμηρος τὰ τῆς πολιτείας διεῖλεν, in quibus τοίνυν illud non habet quo referatur, docent hic quoque novam quandam partem superioribus male esse agglutinatam; quod qui factum sit inde explicatur, quod in his quidem capitibus πολιτικοὶ λόγοι (et πράξεις), qui facillime cum πολιτικῷ λόγῳ confundi poterant (cf. p. 29, 1), Homero repetuntur (c. 199).

Quae cum ita sint, ac ne tum quidem, si quis cap. 91 eicere vellet, ad alteram difficultatem tollendam quicquam lucraremur, in partitione capitis 74 Wyttenbachii coniectura respuenda, codicum auctoritas amplectenda est.

Quod si θεωρητικὸν illum, qui vocatur, λόγον (sive capp. 92—160) ut cum iis capitibus, quibus nunc insertus est, non

cohaerentem resecuerimus, duo genera dicendi, quae posteri statuerint, ab Homero ducere originem cap. 74 perhibetur, *ἱστορικὸν* et *πολιτικόν*. Quorum hoc quidem eodem modo quo apud Aristidem rhetorem, ut oratorium sit dicendi genus, qua de re Carol. Brandstätter egit, Stud. Lips. XV, p. 176 sqq.[1]), accipiendum esse apparet (cf. cap. 161: *ὁ δὲ πολιτικὸς λόγος ἐστὶν ἐν τῇ ῥητορικῇ τέχνῃ*); alterum autem quamquam non omni ex parte cum *ἀφελεῖ* sive *συγγραφικῷ* genere ab Aristide alteri opposito congruit, non desunt loci, quibus pedestris orationis scriptores in *ῥήτορας* et *λογογράφους* dividantur, velut apud Hermogenem de ideis II, 10, inde a p. 405, 24 Sp.: *ἀρίστη τε γὰρ ποιήσεων ἡ Ὁμήρου, καὶ Ὅμηρος ποιητῶν ἄριστος, φαίην δ' ἂν ὅτι καὶ ῥητόρων καὶ λογογράφων* (cf. praeter ea quae ibi sequuntur etiam tabellam a Brandstaettero paginae 186 subiunctam). Iam cum etiam apud Dionysium Halicarnassensem, de comp. verb. 5, p. 32, 5 R., *πλάσματι ἱστορικῷ* opponatur *ἐναγώνιον* (quod apud Aristidem est *ἀγωνιστικόν*, de quo cf. Brandst., p. 177), non multum ei differentiae tribuendum est, quod *λογογράφοι* ab Hermogene cum oratoribus compositi non rerum tantum scriptores, sed omne genus narrativum complecti videntur[2]). Atque ita in *Vitae* cap. 74—90 de ipsius poetae narrandi ratione et artificiis agitur, inde a cap. autem 161 cum de illius tum de heroum, quos verba facientes inducit, arte oratoria. Optime autem cum his etiam c. 175 cohaeret: *τοῦ δὲ πολιτικοῦ λόγου ἔχεται καὶ ἡ τῶν νόμων ἐπιστήμη*. Quis enim negaverit oratoris esse legum esse peritum? De iis quae sequuntur cf. p. 26.

Sed ipse ille „*θεωρητικὸς λόγος*“ non integer reliquis aut insertus aut inter ea servatus est. Nam qui eum cum supe-

1) Adde eiusdem p. 192.

2) Conferendum est quod fuerunt qui, cum pedestris orationis scriptores praeter oratores esse vellent aut *συγγραφεῖς* aut *ἱστορικούς*, hos quidem perperam ita distinguerent, ut *συγγραφεῖς* res sua ipsorum aetate gestas, *ἱστορικούς* autem res superiorum temporum perscribere dicerent (An. Oxon. IV, p. 312, 1; Bekker., An. Gr. p. 733. 34), qua de re vid. etiam Kaibel, d. Prolegomena *περὶ κωμ.*, p. 20.

rioribus capitibus coniunxit (c. 92), is, postquam dixit, partes philosophiae esse physicen et ethicen et dialecticen, *ἐν δὴ πᾶσι τούτοις*, inquit, *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ σπέρματα ἐνδιδόντα Ὅμηρον εἰ καταμάθοιμεν, πῶς οὐκ ἂν εἴη πρὸ πάντων θαυμάζεσθαι ἄξιος;* At de dialecticis ad Homerum revocandis nihil usquam occurrit; immo, ubi capiti 144 clausulam scriptor subiunxit: *οὕτω μὲν οὖν πρῶτος Ὅμηρος ἔν τε ἠθικοῖς καὶ φυσικοῖς* — ordo debebat esse inversus — *φιλοσοφεῖ*, corollarii quasi loco capita quaedam addidit, quibus de Pythagorae Democriti Epicuri Aristippi placitis et de apophthegmatibus et sententiis quibusdam agitur, in quibus quaestionum dialecticarum vestigium nullum.

Sed neque ea, quibus capita *πολιτικὸν λόγον* complectentia (161—75) excipiuntur, integra sunt neque bene inter se cohaerent, sed hic quoque suturae quaedam male dissimulantur. Nam postquam inde a cap. 176 de variis civitatum generibus et institutis, de civium et erga patriam et inter se officiis, de sepultura, de bellorum bene gerendorum ratione similibusque rebus, quatenus ab Homero iam commemorentur vel praecipiantur, et haud inepte quidem, sermo iniectus est, capite 199 extremo clausulae loco verbis additis (de quibus cf. p. 26): *τοιαῦτα μὲν τῶν πολιτικῶν λόγων καὶ πράξεών ἐστι παρ᾽ Ὁμήρῳ τὰ λήμματα*, inde a cap. 200 egregia quaedam sequitur de arte apud Homerum medicina, neque minoris facienda sed multo brevior altera quaedam (cap. 212) de arte vaticinandi disputatio, quae tamen vinculis admodum laxis cum antecedentibus cohaerent. Maioris autem momenti est, quod haec e libro aliquo qui multo plura id genus continuerit excerpta esse apparet; an, si medendi tantum et vaticinandi artes ex Homero repetitae erant, erat quod (c. 213 init.) quaereretur *τίς ἔτι καταλείπεται λογικὴ τέχνη ἢ ἐπιστήμη?* Respondetur autem huic interrogationi ita, ut quinque capitibus (213—17) de tragoediae comoediae epigrammatum primordiis apud Homerum obviis et de poeta artis pingendi perito agatur.

Quid, quod is qui capite 218 peroravit bene etiam tum cognitum habebat, librum non ab uno auctore multiplici rerum

ad Homerum pertinentium scientia praedito esse conscriptum, sed variis e partibus hinc illinc petitis esse compositum, si quidem *ἐνταῦθα*, inquit, *καιρὸς καταπαύειν τὸν λόγον, ὃν ὡσπερεὶ στέφανον ἐκ λειμῶνος πολυανθοῦς καὶ ποικίλου πλέξαντες ταῖς Μούσαις ἀνατίθεμεν*. Ubi quae sequuntur: *καὶ οὐκ ἂν φροντίσαιμεν, εἴ τις ἐπιτιμήσειεν, ὅτι πονηρῶν πραγμάτων ὑπόθεσιν ἐχουσῶν τῶν τοῦ Ὁμήρου ποιήσεων προσάπτομεν αὐτῷ λόγους φυσικοὺς πολιτικοὺς καὶ ἠθικοὺς καὶ ἐπιστήμας ποικίλας*, perversa illa rerum tractatarum enumeratione item non scriptoris haec esse qui librum certum quoddam consilium secutus composuerit, sed hominis esse demonstrant qui iis quae variis e fontibus confluxisse sciret, summarium quoddam parum accuratum [1] subiunxerit.

Atque hactenus quidem de externis quibusdam libri *περὶ Ὁμήρου* compositionis indiciis; de iis autem, quae in rerum ipsarum de quibus agitur ordine et tractandarum earum ratione posita sunt, ut paucis quibusdam afferendis contenti simus: inter egregiam illum de Pythagoreorum de numeris doctrina disputationem (c. 145) et ea quae de *ἐχεμυθίᾳ* eorum exponuntur (c. 149), de quibus cf. p. 21, capita interiecta sunt, quibus de arte ratiocinandi poetae non ignota atque de musica, et quanti ab eo aestimata et qualis temporibus eius fuerit, agitur. Quibus quae in fine subiciuntur: *ταῦτα μὲν οὖν περὶ τῆς παρ'*

---

1) Idem in ea cadit, quae in prooemio libri, cap. 6. leguntur: *πλὴν καὶ ἐν τοῖς μυθώδεσι τούτοις λόγοις . . . . φανεῖται πάσης λογικῆς τέχνης καὶ ἐπιστήμης ἐντὸς γενόμενος καὶ πολλὰς ἀφορμὰς καὶ οἱονεὶ σπέρματα λόγων καὶ πράξεων παντοδαπῶν* (cf. c. 199) *τοῖς μετ' αὐτὸν παρεσχημένος, καὶ οὐ τοῖς ποιηταῖς μόνον ἀλλὰ καὶ τοῖς πεζῶν λόγων συνθέταις ἱστορικῶν τε καὶ θεωρηματικῶν*. Hic enim ea re peccatum est, quod, cum in libro, quali nunc quidem est condicione, de *θεωρητικοῖς λόγοις* poetae sane agatur, non tamen de *λόγοις ἱστορικοῖς* a posteris in usum suum conversis, sed de *ἱστορικῷ λόγῳ*, quem illi imitati sint (c. 74 sqq.) ibi disputatur, *πολιτικὸς* autem *λόγος*, de quo inde a c. 161 agitur, hic prorsus neglegitur. — In eodem autem prooemio (c. 5) pro miro illo iudicio, quo in peroratione malarum rerum argumentum Homeri inesse carminibus perhibetur, haec scripta videmus multo minus improbanda: *εἰ δὲ μὴ μόνον ἀρετὰς ἀλλὰ καὶ κακίας ψυχῆς ἐν ταῖς ποιήσεσι παρίστησι . . . . οὐ χρὴ αἰτιᾶσθαι τὸν ποιητήν*. Sed hoc quidem loco prima haec libri capita obiter (cf. p. 25) tetigisse satis sit.

῾Ομήρῳ μουσικῆς, memoriam clausulae capiti 211 additae: *ταῦτα μὲν καὶ περὶ τῶν παρ᾽ ῾Ομήρῳ ἰατρικῶν*, non possunt non revocare, neque dubitari sinunt, quin cum hac parte disputationis de placitis philosophorum institutae frustula quaedam aliunde et ex eodem quidem libro, quo de *λογικαῖς τέχναις* et *ἐπιστήμαις* Homero iam notis (v. p. 28) agebatur, excerpta coaluerint.

Etenim ut non desunt capita, quibus de rebus, quas demonstrare scriptor sibi proposuit, ita agitur, ut non multa certe desideres, ita aliis locis ex ampliore exemplorum copia pauca tantum excerpi apparet. Omnium facile luculentissimum cap. 186 exstat, in quo de officiis civilibus post alia quaedam haec leguntur: *ὅπως* ⟨et Par. et Ricc. *πῶς*⟩ *δὲ τὸ ἀληθεύειν τίμιον, τὸ δὲ ἐναντίον φευκτόν· ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος* ⟨Par. a man. rec. add.; *ἐκεῖνος* Ricc.⟩ *ὅμως Ἀίδαο πύλῃσιν, ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ* (*I* 312. 13), *καὶ εἰς τὸ αὐτό· οἵ τ᾽ εὖ μὲν βάζουσιν κακῶς δ᾽ ὄπιθεν φρονέουσιν* (*σ* 128). Nonne verbis *εἰς τὸ αὐτό*, quae et in Parisino codice (in hoc quidem ita, ut primo quidem deleta, tum autem punctis infra positis restituta sint) et in Riccardiano, codicibus quam plurimis in rebus multum inter se discrepantibus (cf. p. 21, 1; 32, 1) leguntur, exempla e collectione longe uberiore (an e florilegio quodam?) petita esse demonstratur? Aliis autem locis scriptor se pauca tantum attulisse aperte profitetur: c. 73. 90. 91. 115. 153. 192.

Quod si res quasdam e Plutarchi Chaeronensis *῾Ομηρικαῖς Μελέταις* petitas in librum Homericum eiusdem nomen nunc in fronte gerentem transiisse supra (p. 18) effecimus, iam eas ob causas, quas modo exposuimus, fieri non potest hunc ut totum, ne exceptis quidem cum Baedorfio capitibus fere triginta [1]), indidem repetamus.

At *λόγος* ille qui vocatur *θεωρητικός* (cap. 92—160), quem cum capitibus, quibus interpositus est, non cohaerere demonstravimus (p. 26), ad *Μελέτας* illas revocandus est; huius enim capita 129. 30 et 149 cum alterius libri fragmentis composuimus!

1) Addenda iis sunt capp. 89 et 126, de quibus Baed. p. 33 et 40 egit.

At ne haec quidem libri pars, etiam si ab extremis eius capitibus miserum in modum turbatis (cf. p. 38) discesseris, unius esse potest auctoris. Etenim de rebus, quae in iudicium veniunt, partim ita agitur, ut Stoicum agnoscas hominem suae sectae decreta nusquam non reperientem vel, cum aliter eo quo tendit pervenire non potest, allegoricae interpretationis artificiis poetae obtrudentem, partim ita, ut cum altero quodam res nobis sit, nulli magistro addicto et de Stoicis praeceptis cum Homero cohaerentibus non minus integre quam de reliquis iudicante, etsi huius quoque disputationi Stoici coloris quasi guttas quasdam esse adspersas negari non potest.

Nam, ut concedendum est alteram partem ab altera non omnibus locis certis quibusdam terminis posse secerni, ita quanta alterius ab altera sit discrepantia facile perspicitur. Primis enim inde a 93° capitibus, quibus de mundi et ortu et ordine (usque ad c. 103), de sole astrisque et de meteorologicis terraeque motibus (c. 104—11) agitur, quae tantum non omnia secundum Stoicorum doctrinam enarrari iam diu constat, philosophi illi ne nominantur quidem: nihil scilicet auctor nisi id curabat, ut sectae suae finibus contentus Homeri auctoritate placita eius niti doceret. Qua cum re congruit, quod c. 93, postquam de mundi principiis a Thalete et Xenophane constitutis pauca quaedam attulit, ἡ δὲ μάλιστα ἀληθὴς δόξα, inquit, τέσσαρα στοιχεῖα συνίστησι. E ceteris autem philosophis praeter Empedoclem bis (c. 99 et 101) citatum, quem quibusdam in rebus suis annumerare Stoici poterant, unus Aristoteles in partes vocatur, atque ita ut demonstretur ὅτι οὐ πῦρ ἐστιν ὁ ἥλιος ἀλλ᾽ ἑτέρα τις κρείσσων οὐσία (c. 105), qua cum re cohaeret, quod c. 98 illustrium quidam philosophorum quattuor elementis quintam addidisse essentiam dicuntur.

Quantum ab his discrepant capita inde a 122°! Quorum ut ordinem sequar, ad Homeri auctoritatem referuntur Pythagoras (c. 122. 125. 145. [147] [1]). 149), Plato (122. 128), Stoici

1) Cf. p. 29. — Capp. 153 et 154, quoniam non de placitis, sed de sententiis quibusdam in iis agitur, consulto omitto, cf. p. 38.

(127. 130. 134. 136. 143. 144), Aristoteles vel Peripatetici (128. 132. 133. 135. 137. 145), Democritus (150), Epicurus (ib.), Aristippus (ib.). Ipso autem illo cap. 122 haec leguntur [1]): *καθάπερ δὲ περὶ τῶν θείων πολλοὶ καὶ ποικίλοι λόγοι τῶν φιλοσόφων τὰς πλείστας ἀφορμὰς ἐξ Ὁμήρου λαβόντες, οὕτω καὶ περὶ τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων, ὧν πρῶτον περὶ ψυχῆς πειρασώμεθα· τὸ μὲν δὴ τῶν δογμάτων Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος γενναιότατόν ἐστιν, εἶναι τὴν ψυχὴν ἀθάνατον.* Ut supra (c. 93) Stoicorum sententia una esse vera perhibebatur, ita hic Pythagoras et Plato primas ferunt, atque in re, de qua Stoici aliter iudicaverunt; ut in superioribus Stoicae sectae tantum non unius placita Homeri auctoritate corroborari vidimus, ita hic multas et varias philosophorum sententias ex eo pendere docemur. Quid mirum igitur Stoicos, ubi afferuntur, non ultra ceteros efferri? Immo cap. 130 verbis *ἐκ δὲ τῶν εἰρημένων ἔδοξε τοῖς Στωικοῖς, τὸ ἡγεμονικὸν εἶναι περὶ καρδίαν*, placitum illud reici magis quam accipi supra (p. 21) iam vidimus. Neque minus ea, quae capp. 136—41 de Stoicis et Peripateticis finem bonorum aut in sola virtute aut in eadem cum bonis externis coniuncta ponentibus afferuntur, ita se habent, ut non ad illos, sed ad Peripateticos scriptorem inclinare appareat (cf. cum alia tum c. 137 extr. quae de *θεοῖς δωτῆρσιν ἐάων* disputantur). Adde quod cap. 133 Aristotelis de duabus animae partibus (cf. Plut., virt. mor. 3, p. 442 B) ac de summa virtute divina et extremo vitio belluino, homine autem inter utrumque finem posito (cf. Eth. Nic. VII, 1) sententiam ita profert, ut amplecti eam videatur, vel quod cap. 134. 35 magis a *μετριοπαθείᾳ* (cf. de hoc verbo Praechter, Archiv X, p. 188) quam Stoicorum ab *ἀπαθείᾳ* stat, vel quod contra Stoicorum auctoritatem, quam ne commemorat quidem, ut Pythagoreorum *μετεμψύχωσιν* probet, ex heroibus cum equis loquentibus et e cane Ulixem omnium primo agnoscente efficit,

1) Sequor hic cod. Riccardianum; in Paris. ita leguntur: *καθάπερ δὲ — ποικίλοι* <om. *λόγοι*> *παρὰ τοῖς φιλοσόφοις τὰς — ἐξ Ὁμ. λαβοῦσιν, οὕτω — πραγμάτων, ὧν πρώτων περὶ τῆς ψυχῆς πειρασώμεθα. τὸ μὲν δὴ γενναιότατόν ἐστι τὸ εἶναι κτλ.*

inter homines et reliqua animantia esse *κοινωνίαν τοῦ λόγου καὶ συγγένειαν τῆς ψυχῆς* (c. 125).

Apparet igitur me olim (Porph. Il. p. 400 sqq.) omnia libri *περὶ Ὁμήρου* capita 92—160 ex eodem allegoriarum libro Stoicae originis, quem Diels, Dox. p. 95, indagavit, quo e libro etiam Heracliti allegoriae, Pseudo-Plutarchi placita quaedam, Probus — at cf. nunc Thilo, Annal. phil. CXLIX, p. 421 sqq. — ad Verg. Ecl. 6, 31, alia pendent, praepropere repetivisse. De priore autem horum capitum parte (usque ad 111) id quod ibi posui manebit. Quod pluribus demonstrare cum opus non sit, id non omittendum est, scriptorem horum capitum libro, unde sua hausit, longe sine dubio uberiore et doctiore, non semper ea qua par fuit diligentia usum esse; id quod e verbis cap. 93: *ἡ δὲ μάλιστα ἀληθὴς δόξα τέσσαρα στοιχεῖα συνίστησι, πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν· ταῦτα δὲ καὶ Ὅμηρος εἰδὼς φαίνεται, μνημονεύων ἐν πολλοῖς αὐτῶν ἑκάστου*, elucet. Ridiculum enim est, inde quod Homerus multis locis ignis aeris aquae terrae mentionem faciat concludere eum haec quattuor esse voluisse elementa! Quid pro his afferendum fuerit Heracliti docent capita 22 extr., 23 et 41, in quibus e versibus *Τ* 277 sqq. et *Ο* 36 sq. — invocantur inter alia numina et terra et flumina, ut iurisiurandi sint testes — elementorum numerus efficitur.

Addidisse autem eum, qui haec e Stoicorum illo libro qualicumque modo excerpsit, ea illis, quae de placitis ex Homero derivandis ex altero libro petita perscripta iam invenerit, inde efficitur, quod inter c. 111, quo disputatio de meteorologicis Stoica (cf. inter alia Heraclit. c. 42) terminatur, et c. 112: *θεοὺς εἶναι πάντες οἵ γε ὀρθῶς φρονοῦντες νομίζουσι καὶ πρῶτος Ὅμηρος*, oratio sine ulla coniunctione hiat[1]); quo accedit, quod, cum in his quidem capitibus a rebus divinis, quas philosophi ex Homero hauserint, ad humanas transeatur (c. 122), capite 92, cum quo c. 93 artissime cohaeret, partes philosophiae physica et moralis (et dialectica, qua de

1) Dissimulandum tamen non est, in cod. Riccard. post *θεοὺς δὲ* insertum esse.

re cf. p. 28), de quibus sermo instituendus sit, commemorantur; quae vocabula non in ipsa rerum tractatione, sed capite demum 144 extr.: οὕτω μὲν οὖν πρῶτος Ὅμηρος ἔν τε ἠθικοῖς καὶ φυσικοῖς satis sane perverse recurrunt.

Iam mirum sane esset, si is, qui iis quae ex altero libro iam transcripta vel excerpta invenerat, e Stoico illo fonte haec addidit, ipsa capita inde a 112° prorsus intacta reliquisset. Atque verba cap. 122, ubi de Platonis et Pythagorae de animae immortalitate placitis agitur, versui Homerico ψυχὴ ... Ἄϊδόσδε βεβήκει (Π 856 etc.) adiecta: εἰς τὸν ἀειδῆ καὶ ἀόρατον, εἴτε ἀέρα θείη τις εἴτε ὑπόγειον, τόπον, R. Heinze, Xenocrat. p. 147, 2, iam monuit, quamquam Xenocratis reddere possent sententiam, e cap. 97 addita esse videri; capiti autem 129 exemplum Achillis a Minerva, quae sit φρόνησις, coerciti, quod cum reliquo capite male cohaerere supra (p. 20) demonstravimus, ex eodem sine dubio fonte, unde Heraclitus sua (cap. 17—20) hausit, additum est; ita enim non solum unde allegorica deae agendi rationis interpretatio (apud Heracl. quidem c. 19 ἡ σὺν φρονήσει μετάνοια esse dicitur) ceteris adiecta sit, sed etiam quo modo totus hic locus cum quaestione de diversis animae partibus diversis partibus corporis assignandis cohaereat intellegitur. Apud Heraclitum enim (c. 20) e verbis Homeri ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα (Α 197) efficitur, rationem, cuius sedes caput esset, iracundia, quae in pectore habitaret, superiorem exstitisse. Quae quam deformata libri περὶ Ὁμήρου capiti 129 accesserint non est quod pluribus persequamur.

Eodem modo de cap. 131 iudicandum est, quo Stoicorum, qui non nominantur, doctrina Platonis de animae partibus decretis (c. 128—30) ita subiungitur, ut aut huius aut auctoris libri sententiam reddere videantur. Sed hic quoque pannum quendam stragulo, ut ita dicam, assutum esse, e verbis cap. 131 extremis et initio cap. 132 apparet: τὰ μὲν οὖν φαῦλα πάθη τοῦτον διαιρεῖται τὸν τρόπον· πάλιν δὲ τῶν περὶ Ἀριστοτέλην ἀστεῖα πάθη ἡγουμένων τὴν νέμεσιν καὶ τὸν ἔλεον ... ταῦτα καὶ Ὅμηρος κτλ. At cum inter φαῦλα et ἀστεῖα πάθη, quibus μέσα addiderunt, Peripatetici —

non quidem Aristoteles [1]), qua in re error Arii Didymi (vid. Diels, Dox., p. 71) hic recurrit — secundum Stobaei Ecl. II, 7, 21 ita distinxissent, ut horum quidem in numerum referrent *φιλίαν χάριν νέμεσιν αἰδῶ θάρσος ἔλεον*, capite autem 131 extremo non solum *θάρσος*, sed etiam *ἡ ἀγαθὴ ἐλπίς* vitiosis affectibus annumeretur, eam unam ob causam et satis inepte quidem haec addita esse apparet, ut res aliunde petitas quocumque modo eo loco insererent. Quae cum ita sint, cap. 131 ex eodem Stoicorum libro, unde 93—111 pendent, repetere non vereor, idque eo minus, quod Porphyrius quoque, quem eodem usum esse constat, capiti illi simillima quaedam habet (vid. Proleg. Il., p. 399 sq.).

Propter haec igitur non est quod capita inde a 122° e Plutarchi *Μελέταις*, ad quas causis supra expositis ducti sumus, derivata esse negemus; neque magis propter ea, quae c. 122 verbis quibus de animis in Od. λ sanguinem bibentibus (p. 398, 5 Bern.) agitur, subiciuntur: *καὶ γὰρ τοῦτο ᾔδει, ὅτι τὸ αἷμα νομὴ καὶ τροφή ἐστι τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμά ἐστιν αὐτὴ ἡ ψυχὴ ἢ ὄχημα τῆς ψυχῆς*, quae facile ab eodem qui c. 131 interpolavit addi poterant; sed nescio an totum hoc caput olim non Platonis tantum et Pythagorae, sed etiam Stoicorum de anima post mortem hominis manenti sententias continuerit; esse enim quaedam, qualia nunc leguntur, in formam redacta breviorem illud docet, quod (p. 397, 17 B.): *εἶναι τὴν ψυχὴν ἀθάνατον, ᾗ καὶ πτερὰ τῷ λόγῳ προστίθησιν ὁ Πλάτων*, scriptum videmus; quae quid tandem sibi velint difficile est dictu.

Sed in his nunc quidem diutius morari non licet, neque in capitis 126, totius libri facile difficillimi, singulis verbis ad certos auctores revocandis. Ut tamen pauca quaedam de his quoque afferam: ut ea quae inde a lin. 11 Bern. de Ulixe leguntur, qui ut *ἔμφρων ἀνὴρ* Mercurii — qui sit *λόγος* — auxilio Circae restiterit atque postea ad inferos adeo penetraverit, Heracliteis allegoriis sunt simillima (cf. earum cap. 70

1) Cum re tamen congruit, quod Rhet. II, 9, *ἔλεον* et *νέμεσιν πάθη ἤθους χρηστοῦ* (p. 1386 β 13) esse dicit.

et 72), ita quod initio capitis, ut metempsychosis Pythagoreorum cum Homero componatur, animae quaedam incidere dicuntur *εἰς τὴν τοῦ παντὸς ἐγκύκλιον περιφοράν, ἣν Κίρκην προσαγορεύει*, Neo-Pythagoreorum vel Platonicorum mysteria sapit, ita ut mirum non sit Porphyrium (ap. Stob. Ecl. I, 49, 60) simillima protulisse. Pythagorae autem doctrinae Plutarchus cum magno teneretur studio neque symbola eius aspernaretur — cf. Is. et Osir. c. 76, p. 382 A: *οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων ἐν ἀψύχοις καὶ ἀσωμάτοις πράγμασιν αἴνιγμα τοῦ θείου κατιδόντες*, et quae e libro de *Ει* apud Delphos Hirzel, Dialog. II, p. 200, attulit —, num omni ex parte negandum est, eum allegoricam loci Homeri interpretationem, qua ipsius aetatis Pythagorei suam de metempsychosi sententiam fulcirent [1]), in medium protulisse?

Sequitur ut de partibus quibusdam adhuc neglectis, ac primum quidem de capp. inter 93—111 et 122, de quibus adhuc egimus, interiectis (112—121) quid statuendum sit exponamus.

His igitur capitibus cum de diis immortalibus agatur, quos esse omnes quidem qui recte iudicent (*οἵ γε ὀρθῶς φρονοῦντες*) credant, inter hos autem — Epicureos excipi apparet — magna multis de rebus fuerit consensio, facile explicatur qui factum sit, ut multo pauciores quam inde a cap. 122 philosophi nominentur: Stoici, Plato, Aristoteles, Theophrastus, semel (119. 20) singuli; semel praeterea, ut qui *τὸν πρῶτον θεὸν ἀσώματον καὶ νοήσει μᾶλλον καταληπτόν* esse vellent, praestantissimi philosophorum laudantur (114), quos Platonem esse quique ab eo starent et ipse Plutarchus, Platon. Quaest. 2 init.; 9, p. 1007 F, et Platonicus quidam inferioris aetatis apud Stob. ecl. I, 1, 28 (maxime quidem inde a p. 33,

1) Aetate inferiore Cronium rem ita instituturum fuisse ex iis, quae Porphyr. ap. Stob. Ecl. II, 1, 32 de ingenio hominis attulit, spoponderis; ac nescio an hoc ipso Cronio auctore l. supra c. ille usus sit. Temere enim egisse Bernardacem, cum fragmentum illud non Porphyrii sed Plutarchi esse vellet, vix est quod denuo (cf. p. 9) moneamus. Ceterum doctorum hominum de cap. 126 sententias consulto hic neglego; id unum moneo capitis illius et eclogae Stobaeanae fontem communem Dielesium quoque (Dox., p. 98) statuisse.

15 W.) docent. Nihil autem in hac parte occurrit, quod e Plutarchi *Μελέταις* eam derivari vetet; c. enim 120 si quidem recte e Chrysippo repetivit Aug. Schlemm (de fontibus Plutarchi commentationum de aud. poet. et de fato, diss. Gott. 1893, p. 53 sqq.), illud quod posuimus ea re non subverti vel inde intellegitur, quod etiam in libro de aud. poet. (c. 6) eodem auctore Plutarchus usus est (cf. etiam Elter, de gnomol. Gr. hist. atque orig., I, Progr. Bonn. 1893, p. 44) aliisque etiam libris Stoica non tam anxie quam exspectaveris vitavit. Eodem modo de capitibus iudicandum est, quae post c. 144 leguntur, ea dico, quibus de philosophorum placitis agitur (excipienda enim sunt c. 146—48, cf. spr. p. 29). Quae cum vinculo satis laxo cum superioribus cohaereant — nam non verba tantum cap. 144 extrema perverse addita sunt (cf. p. 28), sed etiam quae initio c. 145 sequuntur, maxime quidem illa (p. 416, 5 Bern.): *ἴδωμεν οὖν, εἰ καὶ τούτων ἐστὶ παρὰ τῷ ποιητῇ λόγος· ἀλλὰ μὴν πλεῖστος· ὀλίγα δὲ ἐκ πολλῶν παρατεθέντα ἐξαρκέσει*, admodum claudicant —, tamen non est cur alterius atque superiora originis esse dicantur, nam etiam in ipso libro, unde excerpta sunt, corollarii cuiusdam loco addita esse poterant. Immo peculiari quadam virtute commendantur; nam non solum Democriti *εἰδώλων* memoriam (c. 150), sed etiam disputationem continent alteri, quam Stobaeus (Ecl. I prooem. § 10) [1]) servavit, simili-

1) Etiam Bernardakis (cf. p. 23) *Stobaei excerptum ex Plutarchi veri et sinceri scripto, fortasse e Μελέταις* (p. XI. XX) *desumptum esse* iudicavit; Baedorfium contra (p. 4) a Dielesio, Dox. p. 96, ita dissentire, ut eclogam Stobaeanam ex ipso cap. 145 pendere existimaret, mireris sane. — Qui autem factum sit, ut apud Stobaeum nullus Homeri versus afferatur, apud Plutarchum pauci quidam adsint, inde explicatur, quod versus quosdam ex eodem fonte sine dubio multo uberiore petitos antea iam (prooem. § 2, quo cum loco Bernard. iam, p. XIX, Plut. de an. procr. 31, p. 1030 A, contulit) attulerat, ita ut vel hinc qualis inter utrumque scriptorem condicio intercedat perspici possit. — E reliquis Stobaei eclogis, quibus Dielesii auctoritatem secutus Wachsmuth invitis codicibus Plutarchi nomen addidit, per se patet me de Ecl. I, 41, 10 cum cap. 124 iam diu composita non dissentire, eas autem, quae cum capitibus quibusdam inde a 93 usque ad 111, et recte quidem, conferri solent, ex ipso illo libro Stoico, unde et illa capita et Heracliti allegoriae et alia quaedam manaverunt, repetere.

mam de Pythagorae numerorum doctrina cum Homero comparanda (145) haudquaquam spernendam; adde quod hic quoque (150), ut de *Μελετῶν* fragmentis a Gellio servatis (p. 7) effecimus, Epicuri placitum quoddam cum poetae versibus componitur, atque hoc quoque loco philosophus, ita quidem, ut Peripateticorum versuum ι 5 sqq. interpretatio accipiatur (cf. ad Porphyr. l. c.) [1]), vituperatur.

Capitum denique, quibus haec libri Homerici pars terminatur (151—60), eam vel obiter ea inspicienti esse patebit condicionem, ut proverbia quaedam vel dicta vel aliorum poetarum effata ex Homero repetenda duobus vel adeo pluribus e fontibus hausta sint, quorum num quis vel quinam apud Plutarchum quaerendus sit nunc non quaerimus. Non neglexisse hunc in *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* aliorum quoque poetarum testimonia afferre vel e loco Galeni supra (p. 12) examinato sequitur.

Ergo ut quae effecisse nobis videmur comprehendamus: egerat in *Ὁμηρικαῖς Μελέταις* Plutarchus Chaeronensis inter alia de philosophorum placitis ex Homeri carminibus vel derivatis vel cum iis congruentibus; e quibus ea fluxerunt, quae in libro eiusdem qui fertur *περὶ Ὁμήρου* nunc medium fere locum tenent (cap. 112—60), ita tamen, ut is, qui iis capita e collectione allegoriarum Stoica petita (93—111) praemisit, alia quaedam, quae indidem excerpserat, addiderit, iisdem autem in fine quoque (151 sqq.) aliena adhaeserint. *Μελέται* autem cum non exigui ambitus fuisse videantur, in libro nobis servato alia in formam redacta sunt sine dubio multo breviorem, alia proxime ad genuinam formam accedere possunt (cf. p. 30). Cum autem etiam si neglectis verbis res tantum spectamus, non omnia,

1) Si recte Elter, l. c. p. 38 im., locum Athenaei XII, p. 513 B, e Chrysippi florilegio repetivit, hic quoque Plutarchus hoc auctore usus esse videri potest (cf. p. 7; 9, 1; 37).

quae de philosophis in *Μελέταις* persecutus erat, in alterum librum transierint — cf. locos a Gellio (vid. p.6 sqq.) allatos —, videndum esse sequitur, an quaedam eorum quae hic neglecta sunt alii scriptores in usum suum converterint, velut Stob. flor. XI, 32 (24 M.; cf. Diels, Dox. p. 96) et schol. ε 490 (= schol. Aesch. Pr. 109), quod haud scio an cum Democriti de corporibus mortuis reviviscentibus sententia (cf. E. Rohde, Psyche[2] II, p. 190, 3) cohaereat.

Capitibus autem 93—160 quae praemittuntur de poetae rerum narrandarum ratione quaeque de arte eius oratoria (161—75) et de variis civitatum et vitae privatae institutis cet. (176 sqq.) illis addita sunt, tam male et inter se et cum ea parte libri quam e *Μελέταις* derivavimus cohaerent, ut, praesertim cum in his Plutarchum de talibus quoque rebus egisse haudquaquam constet, nisi argumenta quaedam in ipsis quas continent rebus posita accedunt, non sit cur ad eundem fontem referantur. Quod si causae satis graves, quae eodem nos ducant, desunt vel si sunt adeo quae eodem recurrere vetent, non desperandum tamen est fore ut unde tandem hausta cum Plutarcheis coaluerint investigetur.

Ego autem ut dicam quod sentio: in iis certe libri partibus, quibus de rebus et institutis, qualia poetae temporibus fuerint, agitur, Plutarchea mihi videntur quaeri posse; non pauca enim simillima sunt iis, quae in Dioscuridis qui fertur libro *περὶ τοῦ καθ᾽ Ὅμηρον τῶν ἡρώων βίου* vel similiter inscripto e Peripateticorum copiis petita leguntur, quibus Plutarchum quoque usum esse constat (cf. Rob. Weber, de Dioscuridis .... libello, Stud. Lips. XI, cum aliis locis tum p. 168 sqq.; quibus adde de def. orac. c. 3, p. 410 D). In ceteris autem libri collectanei partibus cum aliis tum iis quae vitam poetae (p. 337. 8 B.) excipiunt, quas hic consulto (cf. p. 25) negleximus, vestigia insunt, quae ad alios auctores nos ducant. Sed haec persequi nunc non magis quam de sententiis ab aliis de libro *περὶ Ὁμήρου* prolatis aut de auctoribus, quos Plutarchus in usum suum adhibuisse videatur, disputare licet.

Quam autem ob rem iis, quae e Plutarchi *Μελέταις* excerpta erant, addita sint, quibus de aliis rebus agitur, quae ad

poetam intellegendum et aestimandum necessaria esse videbantur, inde perspicitur, quod non uno loco ad ipsa carmina legenda recurritur, velut in ipsa statim p. 337: *Ὅμηρον τὸν ποιητὴν . . . εἰκότως ἀναγιγνώσκομεν πρῶτον*, vel c. 171, post ea quibus de arte oratoria agitur, p. 435, 21: *δῆλα γὰρ καὶ τὰ ἄλλα ἐξ αὐτῆς τῆς ἀναγνώσεως* (cf. etiam c. 217 extr.). Quo cum accedat quod pluribus locis verba velut *θεασώμεθα* (vid. c. 94 init.; 115; 149 init. etc.) vel *ἴδωμεν εἰ* (c. 6; 17 extr.; 145 init. etc.) sim. occurrunt, scholarum in usum destinatum fuisse librum apparet; non iniuria igitur *Encyclopaediam Homericam* vocaveris. Qua in componenda vel augenda si plures [1]) deinceps — ut videtur sane — occupati fuerunt, ultimo loco sine dubio ea accesserunt, quae *liber prior* adhuc inscribebantur (p. 329—36): noluit scilicet, quisquis illa addidit, fabellarum quarundam quae de Homero ferebantur, quas in iis quae de vita eius perscripta (p. 337. 38) iam invenit, frustra quaesivit, adulescentes esse ignaros.

1) Fortasse c. 23 verba: *καὶ ἔστι παρ᾽ αὐτῷ ἦμος ὅτ᾽ αἰζηοὶ Δημήτερα κωλοτομεῦσι* <sic>, ita intellegenda sunt, ut is qui haec capita iis, quae Plutarchea continere sciret, adderet, iis Plutarchi locum de Is. et Osir. 66, p. 367 D, indicaverit; utroque praeterea loco *Volcanus* ignem nonnumquam vel flammam significare dicitur.

Typis expressit Gothae Friedericus Andreas Perthes.